

[redacted]

[redacted]

Ex Libris Nazareni Calderini



IOANNIS TINNVLI PERVSINI



Compendiaria Argumentandi Methodus.

Ad Illustriss. & Excellentiss.

*I*ACOBVM *B*ONCOMPAGNVM


Soræ Ducem.

Arpini Dñm. Vineolę Marchionem, S.R.E. Gub. Generalem. &c.





PERVSIAE. M. D. LXXXIIII.



IOANNIS TINNVLI PERVSINI

Compendiaria Argumentandi Methodus.

Ad Illustriss. & Excellentiss.

Iacobum Boncompagnum

Sorae Ducem.


Arpini Com. Vicecomitem Marchionem

S.R.E. Gub. Generalem, &c.

[illegible]



PERVSIAE. M. D. LXXVIII.



ILLVSTRISS.^MO ET EXCELL.^mo IACOBO Boncompagno



IO. TINNVLVS S. D.



T quod mihi semper adhuc, quæ tua incredibilis est huma nitas (IACOBE BONCOMPAGNE) benignè fecisti; & quòd bonarum literarum studijs,

vel in iſtis tuis grauiſſimis totius Chriſtiani orbis negotijs, plurimum delectaris (teſtes ſunt literatiſſimi quiq; viri, quos non ſolum cum ad tuam opem atq; fidem confugiunt, perhumaniter excipis, ſed quibus potes rationibus iuuas foues, amplificas) & quòd ad iudicandum de aliorum ſcriptis præclarum habes ingeniũ, vt quod in omni virtutum genere ab ineunte ætate exercitatum, atq; altum eſt; munus hoc meum, qualecumq; ſit, tibi perlibenter offero. Compendiaria quædam eſt Argumentandi Methodus: in qua tradenda, & Ariſtotelis obſcuritatem, & aliorum Græcorum prolixitatem, & Latinorum noſtrorum barbariem quanto maiore ſtudio atq; diligen

tia potui euitare conatus sum. Omnium autem primum in id incubui, vt copiosam quandam breuitatem magna cum perspicuitate coniungerem, vt ea esse conuenit, quibus aliqua de re præcipitur, quæ nulla orationis longitudine, aut eloquentiæ vi obruenda, sed nuda, & aperta exponenda, & semel dicenda sunt. Adieci præterea, veluti loco commentarii, in margine scholia quædam, quæ plurimum adiumenti, atq; ornaměti toti operi afferrent. Initio quidem, vt vera fatear, hæc mihi in adolescentia mea scripseram, & adhuc partim dispersa, atq; errantia vagabantur, partim apud me in aduersarijs neglecta iacebant. Sed cum omnia in vnum

corpus collecta imprudenti mihi excidissent, & in manus hominum venissent, amici quidam multo mei hac in re, quàm vellem studiosiores, vt ea ædi, ac diuulgari paterer sũmis præcibus contenderunt. Arripui quamlibentissimè occasionem diu optatam aliquid ex meo promptuario tibi inscribendi, Quo in primis, & merita tua memoria mea retinere me significarem, & beneuolentiam, atq; obseruantiam meam erga te omnibus testatam relinquerem. Oro atq; obsecro, vt meum hoc munusculum, ex sua, aut ex tua dignitate si spectetur, perexiguum, ex voluntate autem mea maximum, libenter excipias. maiora in posterum, si per

for-

fortunæ meæ tenuitatem licebit, accepturus. Vale non BONONIAE, aut ROMAE ſolum, ſed & ITALIAE, & vniuerſi Orbis decus, & ornamentum.

PERVSIAE. Kal. Auguſti. M. D. LXXXIIII.




LVCIANVS PASINVS

Lectoribus.


ERVENIT tandem ad manus nostras (studiosissimi Lectores) Doctissimi Philosophi, Ioannis Tinnuli opus peregregium de Methodo Argumentandi. In quo Latinè, & copiosa admodum breuitate quæcumq; ad propositum Argumentum pertinent summa quadam dexteritate traduntur. Nulla in his barbaries, nullæ ineptiæ. Omnia solida, & firma. Ita vt his perlegendis plus proficiatis paucis diebus, quam aliorum libris ediscendis multis fortasse annis. Nos, vt vobis, quæ nostra est animi propensio atq; consuetudo, quicumq; aliquarum littera-

rum

rum ſtudijs operam datis, conſuleremus (nulli enim ſunt, quarumcumq; literarum profeſſores, qui his legendis maximopere iuuari non poſſint.) quanto potuimus ſtudioſius atq; diligentius curauimus, vt publicis Petri Iacobi Petrutij Typis mirabile hoc opus cuderetur. Accipite obſecro, hilari fronte, quæ nunc vobis offerimus, & eiuſdem Auctoris maiora propediem expectate. Valete.



VINCENTII
OTHONIS
PERVSINI.

In laudem Argumentandi Methodi
Ioannis Tinnuli Perusini.



VAERENDI paucis artem qui discere flagrat,
Nudus, & incautus disseruisse fugit.
Mille probare modis quis quis comprændere poscit,
Sumat quæ Tinolus dogmata docta dedit.
Nam Logicam, & Methodum illius bene perdocet ipse,
Barbariem fugiens: Nemo quod ante facit.
Sume libens: Auctor fœcundo pectore profert
Omnia, queis doctus, si cupis, esse potes.

ALE-

ALEXANDRI VINCIOLI

PERVSINI.





RS ægrè, & serò hæc poterat (bone lector) haberi,
Quòd malè, & in varijs degerit ante locis.
Ad lucem ex tenebris, ex multis traxit in vnum
Tynnolus, & Methodum condidit arte pari.
Exemplis adeò appositè simul omnia monstrans
Vt nihil aut addi, vel cupias adimi.
Si bene percipies, alios sermone ligabis,
Te poterit laqueis stringere nemo suis.

AV-

AVCTORVM NOMINA,

Qui hoc opusculo citantur.

Mar-

Martialis.
Marsilius Ficinus.

Ovidius.

Porphyrius.
Plato.
Propertius.
Paullus Diaconus.
Pytagoras.
Plutarchus.
Polibius.

Quintilianu

Rodulphus Agricola.

Simplicius.
Salomon.
Sallustius.
Suetonius Tranquillus.

D. Thomas.
Terentius.
Theophrastus.
Themistius.
Tibullus.
Theognis.

Vergilius.
Valgius.
Varro.

Zeno.



ER-

Erratorum Correctio.

Delenda.		*Reponenda.*
	IN TEXTV.	
Pag. 44.	*M. Deferentia.*	*Differentia.*
53.	*F. Causa.*	*Caussa.*
54.	*M. vs.*	*vt.*
101.	*P. aut,*	*vt.*

P. 4. hoc est cap. 8. quinti libri sex vltimi versus qui incipiunt; Huc potest vtcumq; referri &c. in exemplari Auctoris notati erant, vt delerétur.

	I N *SCHOLIS.*	
Pag. 8.	F. Posſibile cõting.	posſibile, & cont.
58.	M. tamam.	famam.
71.	P. Pænes.	penes.
75.	M. argumen.	argumenta.
91.	P. Tit.	Tex.


Scholia in margine non omnia ad lineam Textui respondent.

Pag. 1. verſ. 1. verſ. 5.) (2. 12. 13.) (2. 21. 23) (6. 15. 17.) (14. 6. 8.) (18. 15. 18.) (31. 7. 10.) (32. 5. 9.) (32. 13. 16.) (35. 16. 19.) (36. 20. 22.) (37. 18. pag. 38. 1.) (46. 18. 20.) (56. 16. 18.) (98. 4. 8.) (99. 1. 3. 1.)

IOANNIS TINNVLI PERVSINI

COMPENDIARIA argumentandi methodus.

LIBER PRIMVS.



Argumentationis species. Cap. Prim.



Rgvmentatio est oratio, qua vnũ ex altero conse- qui demonstratur, Argumentationis species sunt Syllogismus, Inductio, Enthimema Exẽplum. Syllogismus ex propositionibus constat: Propositionis autem

Ex primo lib. post analyt. in pri. & primo Rhet. cap. Sec. & alibi. Vide Rodulph. agricol. lib. Sec, dialec. Cap. 14.

tem partes sunt nomen, & verbū,

De nomine, & verbo, Cap. Sec.

Primo lib. de interpræt. cap. 2. & 3.

Nomen vox est ex instituto significans sine tempore, cuius pars nulla quidquam declarat separatim,

Verbum vox est eodem modo; Sed tempus adsignificat, semperq; à parte stat prædicati.

De termino Cap. Tert,

Primo lib. priorum analyt, cap. 1.
Prim. lib. de interp, cap. 5. terminum, quem diximus recip. eum Boëthius vocat equalem lib. prim. de differentijs topic, cap. 1,

De his transcendentibus, hoc est quæ omnibus cathegorijs accommodari possunt, habetur initio 4. metaph. vide D. Thomā de veritate q. 1. ar, 1.

Prædicatum, & subiectum termini sunt, Terminus est, in quem dissoluitur propositio. Hic aut vniuersalis est, vt Homo, aut singularis vt Socrates. Item aut reciprocus; hoc est eiusdem ambitus, aut non reciprocus, vt homo & risus particeps; & homo, & animal. Præterea aut finitus, vt homo, aut infinitus, vt non homo. Finitus autem, vel limitatus vt Homo, vel transcendens, vt Bonum, Iustum, verum. Nunc terminus, qui subijcitur in propositione subiectum, ab

alijs

aliis suppositum dicitur, qui vero prædicatur de subiecto prædicatum, ab aliis appositum vocatur. Prædicatum est quod latius patet. Sed cum termini sunt reciproci, quod magis formam indicat prædicatũest.

De oratione, & enunciatione Cap. 4.

O*Ratio vox est ex instituto significans, cuius partes separatæ aliquid significant. Cum autem oratio significet quod est in anima, aut eius affectus vel mores indicabit, aut veritatem. Si primum oratio est pathetica, & morata, cuiusmodi sunt optatiuæ, imperatiuæ, vocatiuæ, & deprecatiuæ. Si secundum oratio est enuncians, de qua in præsentia sermo est. Diuiditur enunciatio in vnam, & plures. Vna est, vel simpliciter, & per se, vel coniunctione. Enunciatio vna simpliciter est quæ vnum de vno significat, Quæ est aut afirmatio, vt homo est animal, aut negatio, vt Homo non est Leo. Enunciatio vero coniũctione vna est quæ plura* Primo lib. de interp. c. 4

quidem, sed coniunctè significat. Vt Dum ætas, metus, magister prohibebant. Qualis etiam est hypotetica, cuius tres species faciunt, conditionalem, disiunctiuam, copulatiuam. Rursus vna simpliciter aut est de inesse, aut modalis. Quæ est de inesse aut est de secundo adiacente, vt, Homo est, aut de tertio adiacente, vt Homo albus est, Homo currit. Resoluitur enim verbum, currit, in participium, currens est: Item aut est vniuersalis, vt omnis, & nullus, aut particularis, vt aliquis aut indefinita, vt Homo, aut singularis, ut Socrates.

Ter. in Andr.

Ex initio sec. lib de interp.

P. lib. prior. anal. c. prim. Omnis, nullus Aliquis &c vocant à nonnullis syncathegoremata quod cathegorematis iuncta adsignificent καθηγορήματα, & συγκαθηγ.

De oppositionibus propositionum Cap. 5.

Prim. lib. de interp. cap. 5.

NVnc propositiones sibi inuicem quadrupliciter opponuntur. Hoc est Contrariè, Contradictoriè, subcontrariè, subalternè. Contrariæ sunt enunciationes vniuersales affirmatiua, & negatiua, quæ simul falsæ esse possunt, non simul veræ. Contradictoriæ sūt vniuersalis, & particularis, quarum

rum vna affirmet, altera neget, vt Omnis homo est albus. Aliquis homo non est albus. Et harum natura est, vt vna semper vera sit, altera falsa.

Subcontrariæ sunt particulares, vel indefinitæ idem de eodem affirmantes, & negantes, vt Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus. Et hæ simul veræ esse possunt, simul falsæ esse non possunt Subalternæ sunt vniuersalis, & particularis eiusdem qualitatis. Vt omnis homo est albus, Aliquis homo est albus. Sic.

Omnis homo est albus.	contrariæ.	*Nullus homo est albus.*
Subalternæ	Contradictoriæ / Contradictoriæ	Subalternæ
Aliquis homo est albus.	subcontr.	*Aliquis homo nõ est albus.*

Materia enunciationum est habitudo seu affectio prædicati ad subiectum. Amm. super periher. par. 4. in principio & D. Thomas super eodé lib. lec. 13

SCiendum quod materia, in qua propositiones fiunt, est aut necessaria, vt Homo est animal, aut impossibilis, vt homo est formica, aut contingens, vt Homo est albus.

In materia necessaria affirmatio vera est negatio falsa.

In materia impossibili ex aduerso negatio vera, affirmatio falsa.

In materia contingenti contrariæ simul falsæ, subcontrariæ simul veræ.

Contradictoriæ sic se habent, vt particularis sit vt plurimum vera.

P. lib. de interp. c. 6

Hinc est, quod Martialis meritò Priscum cauillatur

Sępè rogare soles qualis sim Prisce futurus.

Si fiam locuplex, simq; repentè potens.

Quemq; posse putas mores narrare futuros?

Dic mihi si fias tu leo qualis eris?

Sed vna vera definitè in tempore præterito, & præsenti.

In futuro si sint singulares, neutra est definitè vera, vt Socrates, leget. Socrates non leget.

De consequutione, & ęquipollentia propositionum. Cap. 6.

Secundo lib. de interp. c. primo & primo lib. prior. annal. in fine.

PRæter oppositiones conuenit propositionibus consequutio, & æquipollentia. Fiunt cosequutiones, cum duæ, aut plures propositiones inter se in veritate, & falsi-

tate consentiunt, ità vt ad simpli cem affirmationem sequantur negationes priuatiua; & infinita; ad negationem autem affirmationes, hoc modo. Homo iustus est. Homo iniustus non est. Homo non iustus non est. Homo iustus non est. Homo iniustus est. Homo non iustus est. Sequuntur etiã ad vniuersales particulares. Possunt etiam fieri de subiecto infinito, si homini addatur negatio, Non, Sic. Non homo iustus est. Hactenus de consequutione.

Æquipollẽtia est conuenientia duarum propositionum in veritate, & falsitate; quarum vna altera latius non pateat. Huc eiusmodi regula pertinet. Negatio præposita efficit, vt enunciatio æquipolleat contradictoriæ. Postposita contrariæ. Præposita, & Postposita subalternæ. Quod hoc carmine significatur. Præ contradic. post contra. præpostque subalter. Exempla sunt, Non omnis homo currit. Omnis homo non currit. Non omnis homo non currit. Quæ orationes æquipollent his. Ali- Primo lib. de interp. c. 5.

quis homo non currit. Nullus homo currit. Aliquis homo currit.

De propositionibus modalibus Cap. 7.

Secundo lib. de interp. Cap. 3.

SEquuntur propositiones modales. Hæ duas habent partes secundum latinos, dictum, & modum. Exempli gratia. Socratem legere. Dictum est. Necesse est. Modus est. Sunt modi apud Arist. quatuor, Possibile, Impossibile, Contingens, Necessarium. Vt negatio fiat negandi particula addi debet modo, Sic. Possibile, non possibile. Alioqui duæ contrariæ simul veræ essent. Possibile est Socratem legere. Possibile est Socratem non legere. Quod vtrumq; verum est. Harum propositionũ consequutio fiat hoc modo

τὸ δυνατὸν ἀδυνατόν, ἐνδεχόμενον, ἀναγκαῖον. De possibili dicit Quintil. lib. 3. cap. 8. quod & si dura videtur appellatio, tamen sola est.

I

Possibile, contingens idẽ significãt licet propriè possibile dicatur quod cum non sit esse potest, contingens vero quod est quidẽ, sed potest non esse.

Argutule.

Necesse est esse
Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse.

Necesse

2

Ve *Necesse est non esse.*
sti *Non possibile est esse.*
gi *Non contingens est esse.*
a. *Impossibile est esse.*

3

Si *Non necesse est esse.*
ne *Possibile est non esse.*
me *Contingens est non esse.*
tu. *Non impossibile est non esse.*

4

Mu *Non necesse est non esse.*
ta *Possibile est esse.*
ba *Contingens est esse.*
tis. *Non impossibile est esse.*

Excogitarunt non nulli pro his hæc vocabula, quæ adscripsimus. Franc. Toletus super 1. lib. de interp.& lib. 3 introd. in dialec. cap. 5.

Argutule, Vistigia, Sine metu, Mutabatis.

Primæ sylabæ significant propositiones modales de necessario. Secundæ de possibili. Tertiæ de con-

tin-


tingenti. Quartæ de impossibili.

A. *Significat propositionem modalem omni ex parte affirmatiuam.*

V. *Omni ex parte negatiuam.*

E. *Negatiuam de dicto.*

I. *Negatiuam de modo. Apud non nullos habetur hoc carmen E. dictum, I q; modum, A. nil, sed V. totum.*



LIBER

LIBER SECVNDVS.

De syllogismo categorico.



Quid Syllogismus, & ex quibus constet. Cap. I.



Yllogismus est oratio, in qua quibusdã positis aliquid aliud necessariò sequitur, hoc est cõclusio. Fit syllogismus ex duabus propositionibus, quæ ex tribus constant terminis. Propositiones vulgo appellantur maior, & minor propositio, sed ab alijs propositio, & assumptio. Termini maior, & minor extremitas, & medius terminus, cuius vi maior extremitas de minore

Primo lib. prior. analyt. Cap. 1 & 25 Cic. raciocinationem dicit:

προτ'ασις πρόληψις, συμπέρασμα. hoc est, propositio assumptio, conclusio: Quint. dicit etiam intentionem, assumptioné conclusionem lib. 5. c. 14

Argumenta quæ id, quod agitur, antecedunt: προσυλλογισμοὺς Arist. vocat, quæ conclusionis sunt veluti præludia. Ita notat Perion. lib. 3 Dialec. vide prim. prior. anal. Cap. 25

re concluditur, vt hic. Quod sentit est animal. Homo sentit. Igitur Homo est animal. Sentit est medius terminus. Animal maior extremitas. Homo minor. Diuiditur syllogismus secundum materiam in demonstratiuum, dialecticum, & sophysticum: secundum modum concludendi in cathegoricũ, & hypotheticum.

De figuris, & modis syllogismorum. Cap. 2.

Σχήματα. Arist. geometrarũ more ad delineationes accommodat, quæ Cic. ferè formas appellat, rarò figuras

Quòd syllogismorum figuræ tres tantum sint in omnibus syllogismorum generibus habetur primo lib. prior. anal cap. 23

Figura syllogistica est apta medij termini, cum extremis collocatio. Syllogismorum figuræ tres sunt, quæ ex varia dispositione medij termini oriuntur. In prima enim medius terminus in prima propositione subijcitur, in altera, quæ vocatur assumptio prædicatur. In secunda in vtraq; propositione prædicatur. In tertia vtrobiq; subijcitur. Quod memoriæ gratia hoc carmine significatur.

Sub præ prima. Bis præ secunda. Tertia bis sub.

Modus in figura est propositio-

num

num ad inferendam conclusionem secundum qualitatem, & quantitatem complicatio. Habet quæuis figura plures modos, qui omnes bis versibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio: Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

In quibus duo in præsentia obseruari debent, hoc est, quatuor vocales A. E. I. O. & tres syllabæ, quæ in quouis modo reperiuntur. A. enim significat propositionem vniuersalem affimatiuam. E. vniuersalem negatiuam. I. particularem affirmatiuam. O. particularem negatiuam vnde versus.

Asserit. A. negat E. sunt vniuersaliter ambæ.
Asserit. I. negat O. sunt particulariter ambæ.

Sed syllabarum prima significat propositionem. Secunda assumptionem. Tertia conclusionem.

Aliæ

Aliæ syllabæ, si quæ sint præter has, metri gratia sunt vt in Frisesomorum.

Regulæ generales Syllogismorum. Cap. 3.

Primo lib. prior. analyt: Cap. 24

QVæuis figura suas habet regulas: sed omniū generales quinq; sunt. Vna quod ex duabus propositionibus omninò particularibus, aut indefinitis nihil concluditur.

Altera quod ex duabus propositionibus ambabus negatiuis similiter nihil concluditur. Tertia quod conclusio semper ignobiliorem propositionem sequitur. Quarta quod nihil in conclusione colligitur, quod in propositionibus non contineatur. Quinta quod medius terminus nunquam conclusionem ingreditur, neq; aliquid, quod à parte stet medij termini.

Ignobiliores propositiones sunt particularis, & negatiua

De principijs Syllogismorum perfectorum; Cap. 4.

ANtequàm speciatim de figuris dicatur Syllogimorum per-

perfectorum principia affere͂da sũt. Perfecti syllogismi sunt, qui nulla re extrinsecus egent præter aceptas propositiones, vt concludere appareant. Imperfecti autem egent, aut conuersione propositionum, aut deductione ad absurdum, & id quod fieri nequit. Nunc principia syllogismorum perfectorum duo sunt, τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, καὶ τὸ κατὰ μηδενός. hoc est (vt verbum verbo reddam) De omni dici, & de nullo. De omni subiecto dicitur enunciari prædicatũ cum nihil est accipere, quod à subiecto contineatur, de quo prædicatum non enuncietur. Contra vero de nullo subiecto dicitur prædicatum, cum nihil est sub subiecto accipere, à quo non remoueatur prædicatum. In primo principio fundantur duo perfectissimi argumentandi modi aientes. Prior est. Quando prædicatum vniuersaliter affimatur de subiecto vniuersaliter affirmabitur de eo, de quo idem subiectum similiter vniuersaliter affirmatur. Posterior est. Quando prædicatum de aliquo vniuersaliter affir-

Primo lib. prior: analyt. Cap. 1

Dici de omni, & de nullo idem sunt quod esse-- & non esse in toto, vt obseruat Arist:

Barbara

Darij

affirmatur, si huiusmodi subiectũ de aliquo particulariter affirmetur, etiã prædicatum de eodem particulariter affirmabitur. In secundo principio duo alij modi fundantur perfectè similiter argumentandi, sed negantes. Vnus est. Quando prædicatum vniuersaliter negatur ab aliquo subiecto vniuersaliter etiam negabitur de omni eo, de quo idem subiectum vniuersaliter affirmabitur. Alter est. Quando prædicatum vniuersaliter negatur de subiecto, & idem subiectum de aliquo particulariter affirmetur, ab hoc particulari dictum prædicatum prorsus remouebitur.

Celarent.

Ferio

Hęc obseruat Franciscus Toletus lib. 4 introd. Dialec. cap. 5

De prima figura. Cap. 5.

Primo lib. prior: anal. Cap. 5

NVnc primæ figuræ, in qua medius terminus subijcitur, & prædicatur, leges duæ sunt. Prima est, vt propositio semper sit vniuersalis. Secunda est vt assumptio semper sit affirmatiua. Modi huius figuræ directè concludentes quatuor sunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

Ex-

Exempla sunt.

Bar *Omne animal est mortale.*
ba *Omnis homo est animal.*
ra. *Igitur omnis homo ē mortalis.*
Ce *Nullum animal est lapis.*
la *Omnis homo est animal.*
rent. *Igitur nullus homo est lapis.*
Da *Omnis homo est sciētiæ capax*
ri *Socrates est homo.*
i. *Igitur Socr. est sciētiæ capax.*
Fe *Nullum bonum est malum.*
ri *Scire est bonum.*
o. *Igitur scire non est malum.*

Quatuor his modis directè concludentibus, hoc est maius extremum de minore, adduntur aliquot, qui indirectè concludunt. De quibus antequam agatur, de conuersione, & transpositione agendum est.

Fingit Cardan. horum modorum quandam aliam figurā, quæ apud ipsum est, cum 2 Arist. sit 3. 3. autem 4

De conuersione, & transpositione. Cap. 6.

Conuersio est transmutatio subiecti in prædicatum. Et triplex est, simpliciter, per accidens, & per contrapositionem. Simpliciter cum neq; quantitas, neq; qualitas propositionum variatur, vt, Nulla voluptas bonum, nullum

Primo lib. prior. analyt. Cap. 2. 3. 4.

Conuersio simpliciter vocatur etiam in terminis, & per accidens in parte. In vniuersalem affirmatiuam per accidens conuer

titur, vel potius redit particularis: Aliquis erubescens sine lege loquitur, Conuertitur in hác, Omnis qui sine lege loquitur erubescit.

Quando subiectum latius patet prædicato particularis negatiua non conuertitur in se.

Transpositionem nihili fecit Arist. vnde colligitur non oportere concedi quartá figuram, quam posuit Gal.

bonum voluptas. Per accidens, cum variatur quantitas, vt, omnis voluptas bonum, aliquod bonum voluptas. Per contrapositionem, cum termini finiti in infinitos mutantur. Omnis homo est animal. Omne non animal est non homo. Aliqua voluptas non est bonum. Aliquod non bonum non est non voluptas. Quæ omnes conuersiones his versibus significantur. Feci simpliciter, conuertitur Eua per acci. Asto per contra. Sic fit conuersio tota.

Vbi in memoriam reuocari debent significationes litterarum: A. E. I. O.

Trãspositio est transmutatio propositionum, cum propositio fit assumptio, & ex aduerso assumptio fit propositio.

Nunc his rebus syllogismi indirectè concludentes ad directos rediguntur. Sic tamen, vt incipientes per B. redigantur ad Barbara, & per C. ad Celarent, & ità de reliquis.

In quibus modis reperitur S. indicat opus esse conuersione simplici

plici. P. per accidens. M. transpositione. C. deductione ad incommodum. Hæc his versibus significantur.

Simpliciter verti vult. S. P. vero per acci.

M. vult transponi. C. per impossibile duci.

Notandum quod S. & P. syllabam præcedentem significant, vt patet in Fapesmo, & Cesare in quibus propositiones conuertuntur, non assumptiones.

Hinc intelligitur non esse corruptè scribendum.

Cesa	Fap es	Fris es
re.	mo	om. &c.

Modi indirectè concludentes prim. fig. C. 7.

NVnc primus modus indirectè concludens est Baralipton. Sic.

Hos modos collegit Theophrastus partim ex 2. lib prior. anal. cap. 1 partim ex 1. cap. 7. vt obseruat Alex. aphrod. sup. primo prior. in fine primę fig.

Ba Omne animal sentit.
ra Omnis homo est animal.
lipton. Igitur quoddam sentiens est homo.

Et redigitur ad Barbara conuersione conclusionis per accidens. Omnis homo sentit.

Secundus modus est Celantes.

Ce Nullum animal est lapis.
lan Omnis homo est animal.
tes. Igitur nullus lapis est homo.

Redigitur ad Celarent conuersione simplici conclusionis: Nullus homo est lapis.

Tertius modus est Dabitis.

Da Omnis homo est scietiæ capax
bi Socrates est homo.
tis. Igitur quoddam scientiæ capax est Socrates.

Reuocatur ad Darij simplici conuersione conclusionis.

Quartus modus est Fapesmo.

Fa Omne animal est substantia.
pe Nullus lapis est animal.
smo. Igitur quædam substantia non est lapis.

Redigitur ad Ferio propositione conuersa per accidens. Quædam substantia est animal. Et assumptione conuersa simpliciter. Nullum animal est lapis. Et transpositis propositionibus.

Quintus & vltimus modus est Frisesomorum.

Fri Aliquis homo est animal
se Nullus Elephas est homo.
somorũ. Igitur quoddam animal nõ

est Elephas.

Reducitur ad Ferio conuersione simplici, & transpositione ambarum propositionum.

De secunda figura. Cap. 8.

Secunda figura est, in qua medius terminus in vtraq; propositione prædicatur. Eius leges duæ sunt. Vna est, vt propositio semper sit vniuersalis. Secunda est vt assumptio à propositione in qualitate dissentiat, ità vt cum vna ait altera neget. Habet quatuor modos. Primus est Cesare.

Primo libro prior. analyt. Cap. 6.

Ce Nullum Vitium est virtus.
sa Omnis liberalitas est virtus.
re. Igitur nulla liberalitas est vitium.



Et redigitur hic modus ad Celarent propositione conuersa simpliciter. Nulla virtus est vitium.

Alter modus est Camestres.

Ca Omne animal sentit
me Nullus lapis sentit.
stres. Igitur nullus lapis est animal.

Reuocatur ad Celarent conuersa assumptione simplititer. Nullum

sentiens est lapis, & pro propositione accepta, & conclusione similiter simpliciter conuersa. Nullum animal est lapis.

Tertius modus est Festino.

Fe Nullus lapis est homo.
sti Socrates est homo.
no. Igitur Socrates non est lapis.

Redigitur ad Ferio propositione conuersa simpliciter.

Quartus modus est Baroco.

Ba Omnis virtus est laudabilis.
ro Auaritia non est laudabilis
co. Igitur Auaritia nō est virtus

Ex primo lib. prior. c. 23 Numerantur autē hi syllogismi, qui εἰς τὸ ἀδύνατον, καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου dicuntur, in his Syllogismis, qui ex Hypothesi rē probant; quod ex contradicente aliqua propositione ab aduersario data concludant.

Redigitur ad Barbara deductione ad incommodum. Fit autem eiusmodi deductio, cum ex opposito conclusionis, & altera ex propositionibus contrarium alteri propositioni, quæ concedabatur concluditur. Verbi causa sic.

Omnis virtus est laudabilis.
Omnis Auaritia est virtus
Igitur omnis Auaritia est laudabilis.

Quæ conclusio assumptioni superioris Syllogismi repugnat.

De

De Tertia figura. Cap. 9.

Tertia figura est, cum medius terminus in ambabus propositionibus subijcitur. Duas habet regulas. Vna est vt assumptio semper affirmatiua sit. Altera est vt conclusio semper sit particularis. Modi huius figuræ sunt sex. Primus autem est Darapti. Primo lib. prior. analiyt. Cap. 7

Da Omnis homo est substantia.
ra Omnis homo est animal.
pti. Igitur quoddam animal est substantia.

Redigitur ad Darij assumptione conuersa per accidens. Quoddam animal est homo.

Alter modus est Felapton.

Fe Nullum animal est lapis.
la Omne animal sentit.
pton. Igitur quoddam sentiens non est lapis.

Reducitur ad Ferio conuersione assumptionis per accidens. Quoddam sentiens est animal.

Tertius modus est Disamis.

Di Quidam homo est iustus.
sa Omnis homo est animal.

mis. Igitur quoddam animal est iustum.

Redigitur ad Darij conuersione propositionis, & conclusionis simpliciter, & transpositione propositionum.

Quartus modus est Datisi.

Da Omnis homo est substantia.
ti Quidam homo est animal.
si Igitur quoddam animal est substantia.

Reducitur ad Darij assumptione conuersa simpliciter. Quoddam animal est homo.

Quintus modus est Brocardo.

Bro Quidam homo non est iustus
car Omnis homo ē rationis capax.
do. Ergo quoddam rationis capax non est iustum.

Redigitur ad Barbara per impossibile, hoc est accipiendo oppositum conclusionis. Omne rationis capax est iustum. Et assumptionem, quæ est, Omnis homo est rationis capax. Et inferendo oppositum propositionis, hoc est. Omnis homo est iustus.

Sextus modus est Ferison.

Fe Nullum vitium est virtus.

vt Quoddam vitium est perniciosum.

son. Igitur quoddam perniciosum non est virtus.

Reuocatur ad Ferio conuersa assumptione simpliciter. Quoddam perniciosum est vitium.

Ad huius figuræ dispositionem pertinent syllogismi, qui expositorij dicuntur, quòd rem sensibus exponere videantur, cum medio termino singulari vtantur. vt.

De Syllogismo expositorio quo sæpè Arist. vtitur

Socrates est sapiens.
Socrates est philosophus.
Igitur Aliquis philosophus est sapiens.

De Syllogismis de necessario. Cap. 10.

Primo lib. prior. an. c. 9.

QVo modo monstratum est confici Syllogismos de inesse eodem modo fiunt Syllogismi in materia necessaria. Sed in Baroco, & Brocardo ostenditur sequi conclusionem necessariam per expositionem. exemplum sit.

Omnis homo est bipes.
Aliquod animal non est bipes.

Igitur Aliquod animal non est homo.

Probatur hic Syllogismus accipiendo aliquid quod contineatur sub animali, & perspicuè remoueatur à Bipede, vt bouem: sic.

Omnis homo est bipes.

Nullus bos est bipes.

Igitur nullus bos est homo.

Mixtio necessarij, & in esse. Cap. 11.

Vbi sup. cap. 10

IN prima figura ex propositione necessaria, & assumptione de inesse sequitur conclusio necessaria sic

Omnis homo est animal necessariò

Omnis nunc Perusiæ currens est homo. de inesse.

Igitur omnis nunc Perusiæ currens est animal. necessariò.

Ex propositione de inesse, & assumptione necessaria sequitur conclusio de in esse. Sic.

Omnis homo Italus est albus. de inesse.

Omnis Perusinus est Italus. necessario.

Igitur omnis Perusinus est albus

bus. de inesse.

In secunda, & tertia figura, Si propositio sit necessaria, cum Syllogismus ad primam figuram redigitur, sequitur conclusio necessaria, Si vero assumptio necessaria sit sequitur conclusio de inesse. Quod pertinet ad Baroco, & Brocardo quomodocunq; sint propositiones semper sequitur conclusio de inesse. Vbi sup. cap. 11 & 12

De Syllogismis de contingenti. Cap. 12

Contingens est ens, quod non necesse est non esse. Et triplex est; natum, vel vt in pluribus; à fortuna, vel raro; & indefinitum. Ex propositionibus ambabus contingentibus sequitur conclusio contingens, seruatis regulis, de quibus in Syllogismis de in esse. Vbi sup. c. 13 & 14 Vide D Thomam primo libro Periher. lec. 13

Mixtio contingentis, & de inesse. Cap. 13.

In prima figura ex propositione contingente, & assumptione de inesse infertur conclusio contingens. Vbi sup. cap. 15

Ex

Ex propositione vero de inesse, & assumptione contingente, si propositio sit affirmatiua concluditur conclusio de contingenti vero; si sit negatiua de contingenti pro inesse. Et demonstrantur hi Syllogismi per deductionem ad absurdum. Exemplum sit.

Omnis homo currit. de inesse.
Omnis vigilans est homo. contingenter.
Igitur omnis vigilans currit. contingenter.

Quæ conclusio si non sequatur sequetur eius opposita. Non contingit omnem vigilantem currere. Quæ idem valet, quod hæc. Necesse est aliquem vigilantem non currere. Vnde cum assumptione sic ratiocinabimur.

Omnis vigilans est homo.
Aliquis vigilans non currit. necessariò.
Igitur aliquis homo non currit.

Quæ conclusio contradicit propositioni superioris Syllogismi, quæ est. Omnis homo currit.

Vide Anton. Bernard.

In secunda figura Syllogismi ex ambabus propositionibus contingen-

gen

gentibus non fiunt. Sed si propositio conuertenda sit de inesse, altera vero contingens infertur conclusio contingens pro de inesse. Si vero conuertenda propositio sit contingens non fit Syllogismus.

mir. in institutione in libr. prior. analyt. sec. 18 & deinceps.

Quod pertinet ad mixtionem necessarij, & contingentis dicendum est fieri, & non fieri Syllogismum sicut in eis, quæ sunt de inesse. In tertia figura si ambæ propositiones contingentes sint, aut vna contingens, altera verò de inesse vel necessaria fiet Syllogismus.



LIBER

LIBER TERTIVS.

De syllogismo hypothetico.

De propositionibus hypotheticis. Cap. 1.



Yllogismus hypotheticus ex propositionibus hypotheticis constat. Propositio hypothetica, quæ sumitur, vt genus, est quæ constat ex propositionibus categoricis in vnum per aliquam coniunctionem simul iunctis. Eius tres sũt species, conditionalis, copulatiua, & disiunctiua. Conditionalis siue hypothetica est, in qua per coniunctionem, Si, duæ cathegoricæ simul iun-

Cic. vocat connexum, cõiunctionem, & disiunctionem in libro de fato. Vide D. Thomã opus. 48 de enunciatione cap. 14.

nug

guntur. Si sol est super terram dies est. Si simile est idem non est. Copulatiua est, in qua per coniunctionem, &, duæ cathegoricæ coniunguntur. Vt leguleus, & auarus, & ambitiosus est.

Vergil. 2. æn. Si miserum fortuna sinonem finxit, vanum etiam mendacéq; improba finget.

Disiunctiua est in qua duæ vel plures propositiones cathegoricæ simul iunguntur per disiunctiuas particulas, Vel, Aut, Siue, vt Aut actio est realis, aut personalis, aut mixta.

Libro 4. instit. tit. de act. Verg. vbi sup. Aut hoc inclusi ligno occultantur achiui, aut hæc in nostros fabricata est machina muros, aut aliquis latet error.

De contradictione propositionum hypoth. Cap. 2.

VT contradicant propositiones hypoteticæ addere oportet negationem coniunctionibus, SI, ET, AVT. Non si Sol est super terram dies est. Leguleus non & auarus, & ambitiosus est. Non aut actio est realis, aut personalis, aut mixta.

Dictum Epicuri est. Si malum dolor est, carere eo malo satis est ad benè viuendum. Cic. contradicit 2. de fin. Non si malum dolor est carere eo malo satis est ad benè viuendum

Quid requiratur ad veritatem propositionum hypothet. Cap. 3.

AD veritatem propositionis cõditionalis sufficit veram esse conexionem primæ partis, cum vltima, ità vt vltimæ partis oppositum simul manere non possit, cum prima parte, vt, Si est testamentum est testatio mentis. Vbi patet consequentis oppositum non posse consistere cum antecedente. Hoc est, non esse testationem mentis cum eo quod est esse testamentum. Ad veritatem copulatiuæ necessaria est veritas vtriusq; partis. Ad veritatem autem disiunctiuæ requiritur alteram partem esse veram, alteram falsam.

Libro secundo instit. tit; de test. in principio.

Cic. in top. Gellius lib. 16 cap. 8.

Syllogismi hypothetici partes. Cap. 4.

PArtes Syllogismi hypothetici sunt, Antecedens, Consequēs Deductio siue Consequentia, Assumptum, & Conclusio. Anteceden

Boëthius tres facit partes propositionem siue sumptum; assumptionem, & conclusionem lib. prim.

cedens est propositio, quæ alteri præponitur, & ad quam altera sequitur. Consequens est propositio, quæ ex antecedente infertur. Deductio, siue connexum, siue consequentia est dependentia, & illatio consequentis ab antecedente. Assumptum est assertio vel negatio alterius partis siue antecedentis siue consequentis. Conclusio est illatio alterius partis, quæ ex assumpto infertur.

de syllogismo hypoth. cap. 7 vide Philop. sup. 1 prior. anal. secundum suã sectionem cap. de syllogismo hipotheticis

Syllogismorum species ex propositionibus cõditionalibus c. 5.

HYpotheticorum Syllogismorũ ex propositionibus conditionalibus species duæ sunt. Vna est à confirmatione antecedentis ad confirmationem consequentis, hoc modo

Boet. lib. 1 de syllogismo hyp. vtramq; speciem in quatuor modos diducit

Si Dij sunt Diuinatio est.
Atqui Dij sunt.
Igitur Diuinatio est.

In hoc Syllogismo antecedens est Si Dij sunt. Consequens est Diuinatio est. Consequentia est illatio consequentis ab antecedente. As-

Cic. 2 lib. de diuin. Auerr. primo lib. de anima 13 notat ex Themistio quod cum consequens est possibile negari debet antecedens, & cõcludi oppositũ conseq. contra verò cũ conseq. est necessariũ.

ſumptum eſt. Atqui Dij ſunt. Concluſio eſt, igitur Diuinatio eſt.

Altera ſpecies eſt à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis, vt ap. Ciceronem.

Si vlli rei ſapiens aſſentietur, vſquã aliquando etiam opinabitur. Nuſquam autem opinabitur. Nulli igitur rei aſſentietur.

Hac argumentatione se vtitur Ouid. 2. lib. de triſtibus.
Si ſaperé doctas odiſſem iurè ſorores.
Numina cultori pernicioſa ſuo.
At nunc (tãta meo comes eſt inſania morbo)
Saxa memor refero rurſus ad iſta pedem.

Syllogiſmorum ex propoſitionibus copulatiuis ſpecies. cap. 6.

SPecies Syllogiſmorum ex propoſitionibus copulatiuis ſimiliter duæ ſunt. Vna in copulatis affirmatiuis à confirmatione vnius partis ad alterius partis confirmationem. vt.

Leguleus & Auarus, & Ambitioſus eſt.
Atqui Auarus eſt.
Igitur & Ambitioſus eſt.

Reuocatur argumentum ad hãc hyp. Si auarus eſt, eſt etiam ambitioſus. Et ità vim habet.

Altera ſpecies eſt in negatiuis, vt.

Leguleus non & Auarus, & Ambitioſus eſt.
Sed eſt auarus.
Igitur ambitioſus non eſt.

Qui alteram tollit, vt alterã ponat non rectè concludit; vt non eſt auarus, Igitur ambitioſus

Syllogismorum hypotheticorum ex propositionibus disiunctiuis species. cap. 7.

SYllogismorum ex propositionibus disiunctiuis totidem species sunt. Vna à positione vnius partis ad alterius partis, vel aliarum partium euersionem. vt,

Disiunctio debet esse ex repugnantibus, sicut veteres de disiunctione loquuti sunt.

Stipulatio aut est contractus, aut vltima voluntas, aut iudicium.

Atqui est contractus.

Igitur neq; est vltima voluntas, neq; iudicium.

Altera species est à destructione vnius vel plurimum partium ad alterius positionem. vt

Aut accusandum, aut Moriendum.

Non moriendum.

Igitur accusandum

Ex Cic. pro Cluentio. idẽ 2. de orat. aut senatui parendũ de salute Reip. fuit aut aliud consiliũ instituẽdũ; aut sua sponte faciẽdũ, aliud consilium superbũ, suum arrogans; vtendum igitur fuit consilio Senatus.

Adnotatio circa prædicta. c. 8.

OBseruandũ est quod membra circa quæ fit diuisio, aut sunt op-

Vide Categ. Arist. parte vltima cap. de oppositis.

De disparatis Boeth. lib. primo de syllogismis hypothet. cap. 2

opposita, relatiuè, contrariè, priuatiuè, contradictoriè; aut disparata, quæ in vnum conuenire nō possunt licet non opponātur interse, vt Formica, & Peroratio.

Nunc in relatiuis non licet argumentari à destructione vnius ad positionem alterius, & si licet à positione vnius ad euersionem alterius. Exempla sint.

Aut est Dominus, aut seruus.
Atqui non est Dominus.
Igitur est seruus. Argumentum non concludit.

Licet concludat si dicamus. Atqui est Dominus. Igitur Seruus non est. Idem dicendum de contrarijs mediatis. Sed in immediatis licet vtroq; modo. Vt, Aut est seruus, aut liber. Similiter in priuatiuis, & in contradictorijs. In disparatis omnia enumerare oportet.

Hinc orit difficultas argumenti ab enumeratione partium.

LIBER QVARTVS.

De Demoſtratione.

Cap. Primum.



Yllogiſmus diuiſus eſt ſecundum materiam in demoſtratiuum, dialecticum, & ſophyſticum. Igitur ab re non erit vt & de his breuiter agatur.

Demonſtratio quid & quotuplex. cap. 2.

Demonſtratio eſt Syllogiſmus ἐπιστημονικός, *hoc eſt qui ſcientiam parit. Scire duplex eſt; Propter quid, quod eſt per cauſſam proximam, & quia.*

Primo lib. poſt. anal. t. 8 vocat 8 lib. top cap. 4. φιλοσόφημα dū dicit q̄ eſt rōcinatio neceſſaria Eodem p. lib. poſt. t. 95.

Auer. addit demõstrationẽ simplr̃ sed abiq, necessitate, Card. autem septẽ somniauit gñ a demonstrationum in sua dialec.

Vnde fit vt duplex quoq; sit Demonstratio. Propter quid, & quod.

De principijs Demonstrationis propter quid. cap. 3.

Vbi sup t. 9 & deinceps. sunt autẽ principia hoc loco integrę propositiones. Cardanus irridet eiusmodi demonstrationem, cuius nullum apud homines neq; apud Deos siue demones exemplum possit inueniri. Sed eadem ratione irrideri deberet Plato de Rep. Cic. de Orat. Gal. de Corpore vndiq; sano &c.

Demonstrationis propter quid principia debent esse vera, prima, & proxima, priora & notiora secundum naturam, & caussæ conclusionis, & præterea necessaria. Quod ex eo dilucet, Quia debent esse de omni, per se, & quatenus ipsum, quod vocatur vniuersale. verba græca sunt, quibus haud facilè latina respondent, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον. *De omni subiecto dicitur prædicatum, quod & in omnibus, & semper inest, vt cygnus est albus. Per se dicitur prædicatum cum aut ipsum definitionem ingreditur subiecti; vt homo est animal; aut sui difinitionẽ subiectum ingreditur, vt homo est scientiæ capax.*

Vniuersale autem est cum prædicatum insit in omni subiecto quatenus

nus ipsum est, vel primo; & κα-τόλȣ πρῶτον significat vniuer-saliter primum. Exempli gratia, dicimus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis.

De demonstratione Quia. Cap. 4.

Scire Quia est aliquid cognoscere aut per effectum, aut per caussam remotam. Demonstratio, quæ hinc cognitionem parit, constare debet ex principijs veris, necessarijs, caussis remotis, vel effectibus, perpetuis, & immortalibus, & notioribus nobis. Exempla sint. Luna deficit, igitur terra interponitur: Paries non est animal igitur non respirat.

Vbi sup. à c. 95

Loci, ex quibus demonstrator argumenta haurit, fere tres sūt, effectorum, caussarum, & definitionis, quo loco max. vtuntur Mathemat.

Differentia inter scire Quia, & propter quid. cap. 5

Differunt scire Quia, & propter quid aut in eadem scientia, aut in diuersa. In eadem vel per effectum, vel per causam remotam. Per effectum hoc modo.

Vbi sup. & de inceps διότι, καὶ διάτι. quamobrem, & propter quid. ὅτι, Quia.

Quod non scintillat propè est.
Planetæ non scintillant.
Igitur planetæ propè sunt.

Habemus Quia. Sed si dicamus.


Quod propè est non scintillat.
Planetæ propè sunt.
Igitur Planetæ non scintillant.

Habemus propter Quid.
Per caussam remotam sic.

Quod respirat est animal.
Paries non est animal.
Igitur Paries non respirat.
Quod si diceremus hoc modo.
Respirans habet pulmonem.
Paries non habet pulmonem.
Igitur Paries non respirat.

Pulmo est causa respirationis proxima ex 3. lib. de partib. animal. cap. 6. & de iuuentu, & Senec. cap. 13 vnde πνεύμων dictus est, vt notatur eodem lib. cap. 11
Hoc exemplũ affert Io: Phyloponus.

Esset Syllogismus propter quid.
Hactenus in eadem scientia.




Nunc in diuersa. vt in perspectiua habetur res ad maiorem distantiam minores videri, quia sub minori angulo apparent, vt B. cum ad minorem distantiam maiores videantur

deantur, quia sub maiori angulo cernuntur, vt A. ex his angulis cur vnus maior, alter minor sit Geometriæ interest cognoscere. Quòd autem ita sit Perspectiuæ. Et hoc vsu venit in ijs scientijs, quarũ vna est sub altera, vt se habet perspectiua ad Geometriam, & Musica ad Arithmeticam. Accidit etiam partim in alijs scientijs, vt in cognitione iridis.

Vocantur hæ scientiæ subalternę, vide quęstiones nostras tinnulas lib. prim. cap. de subalternatione scientiarum

De iride vide 3 lib. Meterologico cap. 3 & 4 secundæ summę



LIBER

LIBER QVINTVS

De Definitione.

Cap. Primum.

Initio 2. lib. post. anal. & de inceps & Porf. à t. 9



Voniam & Definitio est sciendi instrumentum (Demonstratione enim vtrum sit, quale sit, & quamobrē sit aliquid cognoscimus, definitione autem quid sit) ab re non erit paucula de Definitione subiungere.

Quorundam explicatio vtilis ad definitionem efficiendam. cap. 2.

Primo lib. de interp. c. 5

E*Orum quæ sunt singularia sunt quæ de nullo dicuntur ; Vniuer*

nersalia vero quæ de multis. Hæc sunt genus, species, differentia proprium, & accidens. Genus est quod dicitur de multis specie differentibus in quæstione quid est. Species est quod dicitur similiter de multis in quæstione quid est sed numero differentibus. Differentia dicitur de multis in quæstione quale est, siue specie, siue numero differant. Proprium, & si multis conuenit, vel specie, vel numero differentibus, non significat quid sit aliquid, sed soli inest, & cum eo reciprocatur. Accidens potest inesse, & non inesse in eodem præter subiecti interitum.

Vide Porph. in introd. ad cathegorias Arist. & Arist primo lib. Topic. c. 4 & 5 lib. cap. 1 de proprio.

De caussis. cap. 3.

MAteria est caussa, ex qua res est. Forma est caussa, per quam res est id quod est. Efficiens est causa, à qua res est. Finis est caussa, gratia cuius reliqua sunt. Post hæc obseruandum est scire aliquid incomplexum esse illius caussam probè cognoscere.

De caufis habetur secundo lib. post. anal. t. 48 secundo Phy. à t. 26 & secundo Metaph. per totũ.

De

Definitio Quid. cap. 4.

Nunc definitio est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit. Et constat necessario ex genere, & differentia proximis, vel ex genere primo vsq; ad vltimam differentiam. Vnde fit vt sit quodammodo ex causis, videlicet intrinsecis, quales sūt materia, & forma, quibus respondent genus, & differentia, cum veluti exemplaria sint materiæ, & formæ. Sic fit vt constare debeat ex prioribus, & notioribus, & natura, & nobis, cum ex caussis, & nos simus qui definimus.

Eiusmodi definitiones vocant nō nulli essentiales ex Arist. 5. & 6. lib. Metaph. Ad quas eas redigunt quas causales nuncupant. Vt hæ sunt. Domus est quod ex lapidibus, lignis, & cœmento constat. Homo est animal ex animo rationali constitutum. Eclypsis Lunæ est terræ interpositio inter se & Solem in capite. & cauda draconis Homo est animal ad beatitudinem factum.

Primo lib. Topic. cap. 4 Definitio græce dicitur ὅρος καὶ ὁρισμός. hoc est terminus, ducta Metaphora à limitibus agrorum

Quintilianus lib. 7 cap. 3 dicit quod finitio est rei propositę propria, & dilucida, & breuiter compræhensa verbis enuncia tio: Sed probandus non est. Vide Audomarum super primo lib. dialec. Petri Rami cap. 30

Quomodo genus & diferentia sint materia, & forma docet Anton Bernar. M. in instit. in secundum lib. post. an. sec. prima, vbi etiam multa pręcepta definitionis colligit

Ouidius secundo Metamorph. Solis domum auro, pyropo, ebore, & argento componit

Quomodo inueniendæ sint rerum definitiones. cap. 5.

QVærendum est primum, nisi perspicuum sit, sub quo ex decem generibus, quæ categoriæ dicuntur, collocetur id, quod definiri debet. Deinde diuidendum vsq; ad deferentiam, quæ cum definito reciprocetur; aut sumendum genus proximum. Sub quo autem generum res definienda contineatur ex cathegorijs dilucere potest. Vtrum autem definitionis partes rei essentiam significent ex proprijs scientijs habetur.

Pro definiendi doctrina vide Platonem in Theetheto. Arist. secundo post. an. à t. 69. Cic. in Topic. & Quintil. lib. 5 cap. 10 Inuestigatur etiam definitio collectione, seu similium consideratione, vt eam vocat Arist.

Præcepta definitionis. cap. 6.

TRia potissimum sunt præcepta definitionis. Vnum vt ex notioribus constet. Vnde fit vt neq; translationibus, neq; verbis parum vsitatis, neq; ambiguis vti debeamus, neq; aliquid per idē, neq; per suum contrarium definire.

Libro 6 Topic. c. 1. & deinceps
Homo arbor inuersa.
Vmbricilium oculus.
Elementum primum Ifa.
Sol astrum die lucens.
Virtus est vitium fugere.

Al-

Alterum præceptum est, vt definitio sit propria definiti; ita vt nec latius, nec angustius pateat, sed cum eo reciprocetur.

Hinc porph. dixit in definitione gen. a se tradita nihil redundare, aut deficere, vide hoc loco Amm.

Tertium præceptū est vt nihil in definitione desit, aut superfit.

De descriptionibus. cap. 7

Boeth. cum de definitione agit c. 8. quindecim defin. species enumerat.

Ex 5 lib. Top. c. 1

Sunt præterea descriptiones, quæ fuso vocabulo definitiones appellantur. Est autem duplex descriptio. Vna quæ ex genere & proprietate, vel communibus affectionibus conflatur: vt, Homo est animal mortale disciplinæ capax. Cuiusmodi discriptionē Arist. propriū vocare videtur 5. lib. Topic. non quidē simplex, sed complexum.

Ouid. secundo amorum Cic. secunda phylip. & pro mil. gloriam aliquanto pluribus describit: Vergil. autem 4. ęned. pulcherrimè famā depigit

Altera quæ non vero genere, sed aliquo, quod eius vim subit constituitur, vt somnus est gelidæ mortis imago. Pax est tranquilla libertas.

Definitioné nominis prudentes prætermisimus. Consule Arist. prim. post. t. 2. quarto metaph. 7 & 8. 18. & Cic. secundo de fin. ex Platone in phedro & in Top.

De diuisione. cap. 8.

AD definitionẽ diuisio confert. est autem diuisio alicuius totius in partes distributio. Et duplex est vna nominis, quæ potius distinctio vocari debet, vt cũ dicim⁹ quòd canũ alius est piscis marinus, alius animal latrabile, alius signũ cæleste. Altera rei. Cuius tria genera sunt. Primũ cum genus in species deducimus. Alterũ quod partitionẽ Cic. vocat, cum totum integrale in partes distribuimus. Tertium cum subiectum in accidentia.

Et obseruandum est primum ne qua pars prætermittatur, aut superflua addatur. Deinde vt mẽbra sic inter se repugnẽt, vt vnũ de altero dici non possit. Tertiũ vt mẽbra omnia simul sũpta æqualia sint diuiso.

Huc potest vtcũq; referri ἀνάλυσις, hoc est resolutio, qua res effectas in principia retexιmus. Cui fortè vtcũq; opponitur συναγωγὴ, hoc est collectio, qua ab inferioribus ad superiora conscendimus.

De diuisione integrum librum conscripsit Boeth. Hæc grecè vocatur διαίρεσις; cui opponitur σύνθεσις, hoc est compositio, eandem plurimi fecit Plato. Vide in Phed. soph. ciu.

Cic. primo off. diuidit virtutem in quatuor species & Ouid. primo Metam. animal in quinq:

Cic. pro Murena Intelligo (Iud) tres totius accusationis partes fuisse. Cęsar primo belli gal. diuidit Galliam omnem in partes três, & Verg. primo Georg. mundum in quinq;

Distribuimus etiam accidentia in subiecta Cic. 5. Tuscul. tria refert bonorum genera.


LIBER

LIBER SEXTVS.

De Syllogismo Dialectico.

Syllogismus dialecticus. Quid. Cap. 1.

Primo lib. Topic. cap. 1 sed 8. lib. c. 4 vocat Epicherema, quasi dicas aggressionem, vt vocat Valgius: Vide Quintil. lib. 5 cap. 10 Non nulli præssius hoc nomen vsurpant pro breui scilicet & vehementi ratione, probabili, vt si diceres. Num mater filium occidisset?



Yllogismus dialecticus est, qui ex probabilibus opinionem gignit. Sunt autem probabilia quæ videntur, aut omnibus, vt amicis est benefaciendum, figulus figulum odit; aut plurimis, vt diuitiæ sunt parandæ, honores expetendi sunt; Aut sapientibus, & his vel omnibus, vt, ex nihilo nihil fit, vel plurimis, vt plures mundi, aut infiniti

finiti nō sunt, vel iis, quorū Sapiētia maximè cognita, & perspecta est, vt Peripateticis ideæ non sunt, & præter elemēta est quinta essentia.

De Locis. Cap. 2.

LOcus est argumenti sedes. Argumentum est ratio rei dubiæ fidem faciens. Locorum alij in re insiti sunt, qui videlicet à rei natura sumuntur, & à disputatore excogitantur. Alij extrinsecus assumuntur. Insitorum alij interni sunt, vt Definitio, Notatio, Totum, Partes, Genus, Species, Coniugata. Alij medij, vt Adiacentia, Actus, Subiectum. Alij externi, vt Caussa, Effectus, Comparatio, Similitudo, Differentia, Opposita, Antecedentia, Consequentia, Coniuncta. Qui extrinsecus assumuntur sunt inartificiosæ probationes.

Cic. in Top. & ibi Boeth. & lib. 2. de deff. top. c. 2

Cic. in Top. & in partit. & 2. de oratore

De locis internis. Cap. 3.

DEFINITIO est oratio, id quod definitur explicans,

Primo top. c. 4 & Cic. in Top.

quid sit.

Quod de definitione dicitur idem de proprio, & propinqua differentia dicendum est, Huc etiam redigendus est locus, qui Themistio à descriptione est.

Quod conuenit, seu non conuenit definitioni, rei quæ definitur conuenit, aut non conuenit. vt

Omne animal rationis particeps est ad ridendum aptum.

Igitur & Homo ridere potest. &

Nullum animal rationis particeps inscitiam amat, Igitur neq; homo.

Item cui rei definitio tribuitur, & res tribuitur, & in quod definitio non cadit nec res cadit. vt

Omnis habitus demonstratione acquisitus est scientia.

Igitur Logica scientia est. Aut Igitur Rhetorica non est scientia.

Cic in Topic. Græci ἐτυμολογίαν vocant. Ouidius sexto fast. Stat vi terra sua, vi stando terra vocatur. Duplex enim fuit vesta, vna terræ, de qua Ouidius. altera ignis dea.

NOTATIO est nominis interpratatio, cum ex vi nominis argumentum elicitur. A notatione ad nomen rei, & contra ducuntur argumenta tum aientia, tum negantia, si reciprocetur, vt Philosophus contemnit diuitias quia omnis sapientiæ studiosus diuitias contemnit? Et Philosophus sumum bonum in voluptatate non collocat, cum nullus sapientiæ studiosus summum bonum in voluptate collocet.

Si non reciprocetur, à Notatione ducitur argumentum negatiuum, vt cum omne testamentum sit testatio mentis sequitur, vt hæc scriptura testamentum non sit, cum non sit testatio mentis. A nomine ducitur affirmatiuum, vt est testamentum, igitur testatio mentis.

Iulio tit. de testam. 2. lib. instit.

TOTVM est quod ex partibus constat. Toto posito partes principes ponuntur, vt orator est igitur inuenire, disponere, eloqui meminisse, & pronunciare nouit. A toto ad partem vnam argumentum affirmatiuum ducitur, vt arbor est, igitur & radix.

Totum à genere differt, quòd genus vniuersale sit totũ vero minimè, Boet. super top. Cic. lib. 3.

Non autem negatiuum, vt non est domus, igitur nec paries.

PARTES sunt quæ totum componunt. Partibus principalibus sublatis totum aufertur, & positis ponitur. vt Cerebro, Hepate, & Corde caret, Homo igitur non est. & Rhetoricam scit quoniã & inuenire, & disponere, & eloqui scit.

Locus diuisionis Themistij partim ad hunc, partim ad locum à specie pertinet.

GENVS est quod communius, & superius est. Quod generi conuenit, & speciei tribuitur, vt om-

Arist. primo top. cap. 4. genus definit, vt supra habetur lib. 5. sed secus a-

topic. c. 2. loco 9 Cic. 2. de orat. Si omnes qui Reip. consulunt chari nobis esse debent, certè imprimis Imperatores.

nis doctrina dianoetica ex praecedente cognitione fit, igitur, & Phylos. a Quod generi non tribuitur nec speciebus conuenit. vt,

Nulla forma est corpus.

Igitur nec anima.

Sublato genere species remouentur. vt, Non est animal. Igitur neq; homo. Posito genere non continuò species ponuntur.

Quatuor his vltimis locis contineri possunt loci Thim. à toto vel genere, à partibus, vel specie, & diuisione, & Ciceronis à partibus generis, toto, & forma, Nos in praesentia Rodulph. Agr. sequuti sumus lib. 1 inu, dial. cap. 9

SPECIES est minus commune, & quod minus latè patet genere. Posita specie ponitur genus, vt est homo, igitur animal. Ablatis omnibus speciebus aufertur genus, vt, Non est animal rationis capax, neq; rationis expers, igitur, non est omnino animal. Hoc loco & differentiam complectimur.

Cic. in top. & Arist. 2 top. cap. 3. Vide Rodulp. Agr. lib. 1. inu. dial. c. 10. Hoc ferè loco vsus é Prop. l. 2. Libertas quoniam nulli iam restat amanti, Nullus liber erit siqs amare velit Terētius in heaut. Homo sum. humani à me nihil alienum puto

CONIVGATA dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem quae videlicet orta ab vno variè commutantur, vt sapiens, sapienter, sapientia. Hinc argumenta negantia ducta necessaria sunt. vt fortia non efficit, igitur non est fortis. Aientia necessariò concludunt in eo, qui habitu perpetuo agit. Vt; Prudenter agit; igitur prudens est.

De locis medijs. Cap. 4.

Hi sunt loci, qui circa substantiam sunt, Et continent quędam, quę cum rei insint, modum ipsi affectionemq; afferunt.

ADIACENTIA sunt accidentia quæ manēt, quie tisq; habent speciem. Posita specie ponuntur adiacentia perpetua, & propria. vt ignis est, igitur calidus. Et contra. Aptus est ad ridendum, igitur Homo. Enumeratis etiam pluribus adiacentibus species ponitur.

Rodul. agr. lib. 1 inuent. dial. cap: 4

Martialis 2. lib. Zoilum ludens.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

ACTVS sunt, qui in agitatione quadam, & fluxu sunt positi. Actibus positis subiecta, & Adiacentia ponuntur. vt Si Gryphi custodiunt aurum in montibus riphæis profectò Gryphi sunt.

SVBIECTVM est, cui aliquid inest, Adiacentium, Actuūq; fundamentum. Ablato subiecto adicentia auferuntur, vt. Si mortui non sunt, igitur mortui non sunt miseri.

Cic. primo tuscul. qq.

De locis externis. Cap. 5.

CAVSA est, cuius vi sequitur aliud. Et quadruplex est

Addunt Platonici exemplar, & instrumentum.

Simp. primo phys. in præfatione, & 2. phys. com. 52. Sed reuocātur ad formam, & efficiens.

a. top. cap. 3. in fine.

Finis, Forma, Efficiens, & Materia. Loci sunt. Quorum effectuum finis est in bonis effectus etiam in bonis sunt, & contrà. vt, Theologia bona est, quoniam bona est beatitudo.

Potest hoc effatum etiam caussa efficienti accommodari.

Posita, aut ablata forma ponuntur aut auferuntur accidentia consequentia formam. Ponuntur etiam effectus. vt,

Posita forma ignis ponitur caliditas, & ablata tollitur, item.

Posita, aut dempta anima rationali ponitur, aut tollitur homo.

Ouid. de remed. Amor
Otia si tollas periere cupidinis arcus.
Contemptęq; iacent, & sine luce taces.

Posita caussa naturali efficiente non impedita ponitur effectus, vt posito igne sequitur vstio. Ablata caussa conseruāte aufertur effectus, vt ablato DEO mundus corruit.

	Transiens.	
Materia.		Remota.
	Permanens.	
		Proxima.

Materia transeunte ablata non aufertur effectus, vt Farina non est, non sequitur, igitur neq; panis. Posita ea effectus consequi potest. Posita, seu ablata materia permanente proxima ponitur seu tollitur effectus. vt, corpus humanum est, igitur, & homo; non est, igitur neq

neq; Homo,

EFFECTVM *est, quod ex caussis sequitur. Si effectum in bonis, aut in malis sit etiam caussa erit, vt cum malum sit furtum, & auaritia malum est. Posito effectu est, aut fuit caussa.*

Occasionem querit qui vult recedere ab amico Prouerb. 1

COMPARATIO *triplex est, Maioris, Minoris, Paris. Locus ex maiori firmus est in confutatione, ex minore in confirmatione. Ex pari, & negantia, & aientia argumenta ducuntur. Vno de duobus dicto si, cui magis videtur inesse non inest, nec cui minus. Et si cui minus videtur conuenire, cõuenit, & cui magis. Rursum duobus de vno dictis, si quod magis videtur inesse non inest, neq; quod minus: Aut si quod videtur inesse inest, & quod magis. Item duobus de duobus dictis, si quod alteri videtur magis inesse non inest, nec reliquum reliquo: Aut si quod minus videtur alteri inesse inest, & reliquum reliquo. Exempla sint. Si Dij non omnia sciunt, multo minus homines. Pater quidem tuus amissis filijs miserandus; Oeneus autem*

Confundunt nonnulli cõparationẽ cum similitudinem Vide Agricol. lib. 1 cap. 25 & Perionium lib. 2, dialec.

Lib. 2. top. c. 4. & 2. Rhet. cap. 24.

Exẽpla plura habẽtur ap. Quintil. lib. 5. cap. 10 vocãt autem hæc apposita vel comparatiua.

Horatius ad Lollium Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

Vt te ipsum serues, non expergisceris?

tem non, qui præstantissimum filium amissit?

Voluptas non est expetenda nedum laudabilis.

Labor expetibilis est, ergo multo magis laudabilis.

Sanitas non est bonum, Igitur multo minus paupertas malum.

Voluptas bonum, Igitur labor malum.

Ouid. secundo de arte. Non minor est virtus quã quærere parte tueri.

Ter. in Adel. Quñ ego nõ curo tuũ ne cura tu meũ.

Quod in re pari valet valet in pari. Licuit Ciceroni consuli in Antonium dicere Ergo & mihi senatori licebit in Verrem.

2. top. c. 4. vide etiam primo top. cap. 8. & 14.

Cic. in oratione cluentiana. Vt corpora nostra sine mente, sic Ciuitas sine lege suis partibus, & neruis, ac sanguine, & membris vti non potest.

SIMILITODO est diuersarum rerum similis inter se affectio

Res similes debent se eodem modo habere.

Si scientia vna est multarum rerum, etiam opinio. Et si visum habere est videre, etiam auditum habere est audire.

3. de anima t. 2.

Intelligere est sicut sentire. sentire est pati. Igitur & intelligere pati est. Potest etiam negatiuum effici argumentum.

Verg. ecloga 5. Tale tuũ carmen nobis, diuine Poeta, quale sopor fessis in gramine.

Sentire non est propriè pati, igitur nec intelligere.

DIFFERENTIA sunt

qua

quæ sic repugnant, vt non certo du ctu, vt inquit Agricola, vnum contra vnum dirigatur, sed satis est substantijs inter se esse dimota.

Cui horum vnum conuenit ei reliqua aut non omnino conueniunt, aut non eodem modo: Et quod in vno dissimilium dicitur, id minimè omninò dicitur, aut non eodem modo in ceteris; vt, Si belluarum est vitã silentio transigere, certè hoc hominum non erit. Voluptas pecudis bonum, non igitur hominis.

OPPOSITA quadrupliciter dicuntur. Contrariè, Contradictoriè, Priuatiuè, Relatiuè.

Contrariorum contrariæ sunt affectiones, causæ, atq; euenta.

Si temperantia bonum, intemperantia malum.

Contrariorũ immediatorum vno ablato alterum necessario ponitur, vt, Non ægrotat, igitur valet.

Contradictoriorũ posito vno tollitur alterum, vt si homo est qui est ad ridendum aptus Igitur qui non est ad ridendum aptus non est homo. Negantia etiam contradictoria eidem subiecto inesse vno tempore

pore

Rodulph. agric. l. primo inueut. dial. cap. 27

Ex Sallustio initio coniur. catil.

In Categ. cap. de oppos. Vide 2. top. c. 3. & Cic. in topic.

Tibullus lib. 2. Sic mihi seruitium video, dominamq; paratam. Tu mihi libertas illa paterna vale.

Cic. 1. tuscul. ch. Atticũ Epicureum, Miseri sũt; igitur mortui non sũt miseri cum omninò nõ sint.

pore nequeunt.

Martialis lib. 3 ebrius es, nec enim faceres hęc sobrius vnquam.

Priuatiuorum vnum alterum interimit. Si cæcitas mala, bona est visio.

πρός τι. hoc ē ad aliquid Martialis lib. 1. in sosibianum, Tum seruum scis te genitum, bandeq; fateris, Cum dicis Dominū sosibiane patrem:

RELATIVA sunt simul natura. Si Dominus est, igitur & seruus. Amoto vno amouetur & alterum.

Cic. in topic. & 2 de orat.

ANTECEDENTIA sunt, quæ rem necessariò antecedūt. Si quod antecedens cuipiam conuenit, aut non conuenit, ei etiam id, quod eius est consequens conueniet, aut non conueniet. Vt, Medicinam didicit, aut non didicit, igitur medicus est, aut non est.

ἀκόλουθα. Cic. separat adiuncta à consequentibus Arist. non.

CONSEQVENTIA sunt, quæ rem consequuntur. Posito consequente ponitur antecedens. Vt, Peperit, igitur concubuit.

CONIVNCTA sunt, quæ cum re eueniunt. Ex perpetuò coniunctis res diiudicantur. Aegrotat, ergo pallet.

De

De locis, qui extrinsecus assumuntur. cap. 6.

Hi loci ab Arist. inartificiosæ fides appellantur. Vocantur etiam testimonia, atq; argumenta ab auctoritate. Suntq; aut diuina, aut humana. Diuina, vt oracula, auspicia, vaticinationes, responsa Sacerdotum, aruspicum, coniectorum, quæ omnia apud Gentiles in vsu erant. Humana, vt scripta, pacta, promissa, iurata, fama populi, Doctorum, & clarorum virorum sententiæ.

Primo lib. Rhet. cap. 1 & lib. 2. cap. 24

Cic. in top. in par. orat. & de orat. Them. vocat locum à iudicio, conformiter Arist. lib. 2. Rhet. vbi argumēta ex hoc loco desūpta ἐκ κρίσεως, hoc ē ex iudicatione nominat.

Quintilianus diuidit hæc argumenta in præiudicia, rumorem, & famam, tormenta, tabulas, iusiurandum, & testes lib. 5. c. 1

De locis personarum. cap. 7.

SVNT præterea loci, quibus frequentissimè oratores vtuntur, Nomen, Natura, Victus, Fortuna, Habitus, Affectio, Studia, Consilia, Facta, Casus, Orationes.

Vide Quintilianū lib. 5. cap. 10

Natura, in qua consideratur sexus, vt loquax est quoniam fæmina; ætas, senex est, ergo Auarus;

Ter. Hoc vnum vitium

senectus adfert hominibus, attentiores summus ad rem omnes quā sat est

Natio, pænus est, igitur vafer; genus ducit ab Asklepiade, igitur bonus Medicus.

Vide secundo Rhet. cap. 24 in fine. Notat Quint. quòd ex nomine iocorū est frequens materia, qua Cic. in Verrem non semel vsus est.

NOMEN est vocabulum, quod cuiq; tamquam proprium, quo appelletur tribuitur. Vt, Nero est, igitur humani generis hostis.

VICTVS, in quo consideratur educatio, vt Fabius improbus est, quoniam inter Rusticos malè est educatus.

De fortuna exactè habet secundo lib. Phyl. Lib. primo instit. de tutelis in principio

FORTVNA est prospera, aut aduersa rerum humanarum mutatio. Seruus est, igitur non potest esse tutor. Fælix est, igitur malus.

Dicit Auic. quod habitus est quo quis aliquid agit cum voluerit. Alber. mag 6. to pic. trac. 2. cap. 5.

HABITVS est animi, aut corporis constans, & absoluta aliqua in re perfectio, non natura data, sed arte, & industria parta. vt, Archias hac in re peccare non potuit, cum litteris operam dederit.

Hec Arist. est passio in categ. cap. de qualitate

AFFECTIO est animi, aut corporis ex tēpore aliqua de causa commutatio. Vt, Erubuit, salua res est.

Ex Ter.

Cic. de inuen. l. 1

STVDIVM est animi assidua, & vehemens ad aliquam rem applicatio. Phylisophus est, igitur bonis moribus imbutus.

CON-


CONSILIA sunt aliquid faciendi, aut non faciendi veræ excogitatæ rationes. Vt, Milo verè aliud facere instituerat, igitur Clodium fortuitò occidit. Cic. ibidem

In oratione pro milone

FACTA. Hoc loco vtitur Cic. pro lege manilia, cùm suadet vt Pompeius ad bellum mitridaticum mittatur, cùm multa alia bella fœlicissimè gesserit.

CASVS est inopinatus euentus. Vt, Miloni ignoscendum est, quoniam casu interfecit Clodium. De casu exactius secũdo phys. vbi de fortuna.

ORATIONES. vt Cic. pro milone. Vos ex Marco Fauonio audistis Clodium sibi dixisse, & audistis viuo Clodio, periturum Milonem triduo.



LIBER

LIBER SEPTIMUS,

De Syllogismo Sophystico.

Syllogismus sophyisticus quid. cap. 1.

Primo lib. elenc. cap. 1 Vocat 8 lib. topic. cap. 4 sophysma, quod definit raciocinationem contentiosam, atq; pugnacem,



yllogismus sophysticus est quo decipimur. Qui ex ijs quæ probabilia videntur, cum tamen non sint conclusionem colligit; aut ex probabilibus, ijs ve, quæ videntur probabila colligere videtur, cum tamen non colligat.

Sophystarum scopi. Cap. 2.

SCopi, quos sibi sophystæ proponunt, quinq; sunt, Redargutio, Falsum, Inopinabile, solœcismus, & Nugatio. Primo lib. Elenc. cap. 3.

Redargutio est cum quis cogitur negare quod antea concesserat, aut concedere quod prius negauerat. Falsum est quod nullam habet veritatis caussam, ne apparentem quidem. Inopinabile est quod præter opinionem omnium est, & maximè sapientum. παράδοξον. Solœcismus secundum Diomedem est contra Romani sermonis legem, aut scripta, aut pronunciata vitiosa dictio. Sed hic etiam pro Barbarismo capitur. Nugatio est cum respondens cogitur idem sæpius dicere.

Diuisio locorum Sophysticorum, Cap. 3.

LOci Sophystici Alij in dictione positi sunt; Alij extra dictionem. In dictione sunt sex. Aequi- Vbi supra.

uocatio, *Amphybologia*, *Compositio*, *Diuisio*, *Accentus*, *Figura dictionis*. Extra dictionem septem, *Accidens*, *Secundum quid ad simpliciter*, *Ignorantia elenchi*, *Petitio principii*, *Consequens*, *Non caussa pro caussa*, *Plures interrogationes, vt vna*.

De locis in dictione.

Cap. 4.

Vbi supra. Vide 2. Rhet. cap. 25.

AEQVIVOCATIO est in simplici voce plura significante. Tres modi sunt aequiuocationis. Primus quando dictio plura primario significat. Vt, Omnis canis latrat, Sydus Cæleste canis est, igitur latrat. Secundus cum per metaphoram loquimur. Quod ridet habet os, prata rident, igitur os habent.

Aequiuocationem, amphiboliam, compositionẽ & diuisionem confundit Quintil. lib. 7. cap. 9. Sed recipiendus non est.

Tertius cum orationis partes vtcumq; variantur. Sedens surgit. Qui surgit stat, igitur sedens stat.

Aliàs amphibolia. Ennius apud Cic. 2. de diuin. Aio te æacida Romanos vincere posse.

AMPHIBOLOGIA est oratio dubiam sententiam continens. Tres habet species. Aequiuocationi respondentes. Vt, Quod est Aristo-

ab eo

ab eo possidetur. Hæc est Phylosophia Arist. igitur ab eo possidetur. Item quando littus aratur terra scinditur, cum indocilis docetur litus aratur, ergo tunc terra scinditur. Item quod videt aliquis hoc ipsum videt, atqui conlumnam videt, igitur conlumna videt.

COMPOSITIO, & DIVISIO pro oratione composita, & diuisa capiuntur. Prima sensum habet compositum. altera diuisum. Si oratio in sensu diuisio vera fuerit, in composito autem falsa, deceptio est à compositione. Sin vero contra à Diuisione. Compositionis exempla sunt.

Vide 2. lib. de interpræt. c. 2. & 2. Rhet. c. 25.

Quem possibile est ambulare is fieri potest, vt ambulet. Sedentem possibile est ambulare. Igitur fieri potest vt sedens ambulet.

Qui scit literas nunc eas didicit. Marcus Cicero scit literas, ergo nunc eas didicit.

Sequuntur exempla diuisionis, quæ sunt.

Duo, & Tria sunt paria, & impa ria Quinq; sunt duo, & tria. Igitur Quinq; paria sunt & imparia.

Quinquaginta virum centũ Heros liquit Achilles.

Ergo Quinquaginta viri sunt centum, & amplius; Quod verum non est.

ACCENTVS hic latius accipitur. Quinq; sunt captiones. Prima cum variatur accentus, vt Græcis οὐ accentu acuto, & οὖ circunflexo. Non, & cuius. Secunda cum mutatur locus accentus, vt, Qui venatur leporem multa loca lustrat, Tu ex sermone amicorum Domi sedens leporem venaris, igitur domi sedens multa loca lustras. Tertia cum variatur syllabarum quantitas. Vt, Qui malus est, è naui eiiciendus est, igitur eiiciendus arbor, qui malus dicitur. Sed malus primo loco habet primam correptam, secundò productam, quarta cum non eadem seruatur ortographia, vt ad aram sacra fiunt, atqui hara stabulum est pecudum, igitur in stabulis pecudum sacra fiunt. Quinta cum aliqua dictio aliàs diuiditur, aliàs integra manet. Vt, Quod inuitè fit coactè fit. Vinum in vite fit. Igitur coactè.

Accẽt⁹ græcè προσῳδία propriè est. lex ad attollendam, & deprimendã Syll. Homerus lib. 23. Iliad. de quercu. ---- τὸ μεν ὃ καταπύθεται ὄμβρῳ. Hoc est quod quidem nõ putrescit imbre Hæc sẽtentia non videtur omninò vera. Respondent non nulli quod οὗ legẽdum est, non autem οὐ

Huc

Huc referunt nonnulli ironiam.

FIGVRA DICTIONIS est cum similitudine vocis decipimur, quod accidit cum genera mutantur, vt masculinum in fœminiuum. vt, Aqua frigida est, atq; Fluuius est aqua. Igitur Fluuius frigida est. Fit etiam transitus aliquando ab vna categoria ad aliam. Vt, Quod emisti cõmedisti, atqui emisti carnem crudam. Igitur carnem crudam commedisti. Transitur etiam quandoq; à re ad notionem. Vt, Socrates est homo, Homo autem est species, igitur Socrates species est.

Verg. ęgregiam verò laudem, & spolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus &c.

In categ. Videtur substantia significare hoc aliquid Vide Amm.

De locis extrà dictionem. Cap. 5.

A*CCIDENS est quod in substantia inest. Captiones fiunt cum similiter existimatur. Quodcumq; rei, & accidenti inesse: Socrates alter est à Platone, igitur ab homine differt, atq; ita homo non est. Quod ego sum tu non es: At qui ego homo sum, igitur tu homo non es: sed bestia. Homo animal*

Vbi sup. cap. 4.

Aul. Gell. lib. 18. cap. 13 vbi & alia plura.

est, Animal autem est genus, igitur homo genus est.

Hic consideratur vnitas extremorum; cum in superiori loco, cósideretur eadem forma orationis.

Aliquando etiam ex diuisis ad coniuncta, aut contra procedimus. Hic canis est pater, & tuus est. Igitur est pater tuus.

Vide 2. l. Rhet. cap. 25.

AB EO, QVOD EST SECVNDVM QVID AD ID QVOD EST SIMPLICITER quatuor modis argumentum ducimus. Primo secundum locum. vt, Apud Thraces pium esse ducitur recens natos deplorare, defunctos gaudio prosequi; igitur pium est puerperia deflere, & funeribus lætari. Deinde secundum tempus. Cum ægrotamus confert tenuis victus, igitur simpliciter tenui victum vtendum. Tertio ad aliquid. Diuitiæ male vtentibus bonæ non sunt, igitur non sunt omninò bonæ. Quarto secundum aliquid. Aetiops est albus dentibus, igitur simpliciter albus est. Aliquando etiam hic ex diuisis coniunctum infertur. Coriscus bonus est & medicus, igitur est bonus medicus.

ELENCHVS est contradictio vnius, & eiusdem ad idem, secundum

cundum idem, similiter, eodem tempore. Quæ particulæ cum omittuntur fit paralogismus. AD IDEM. Decem dupla sunt ad quinq; non ad sex, igitur sunt dupla, & non dupla. SECVNDVM IDEM. Corpus bicubitale duplum est ad corpus cubitale secundum longitudinem, non secundum latitudinem, igitur duplum & non duplum. SIMILITER. Video Adrianum, sed non legentem, cum tamen Adrianus legat, igitur eundem cognosco, & non cognosco. EODEM TEMPORE. Socrates sedet nunc, non sedet paullo post, igitur sedet, & non sedet.

PETITIO PRINCIPII est cum quod quæritur & monstrari debet, vt confessum accipitur. Quod duobus potissimum modis accidit. Primo cum polyonimis ad aliquid ostendendum vtimur. vt, Quod corrumpi nequit immortale est, animus corrumpi nequit, igitur est immortalis.

Item iucunuditas est summum bonum, igitur, & voluptas. Secundo

De petitione principij habes 2. prior. an. cap. 21. 8. topic. cap. 4. & primo elenc. cap. 4.

Quibus locis non eodẽ modo sentit phyloſoph. nobis in præsentia vsum est ita dicere.

Quę polyonima ego dixi nostri grammatici synonima vocant. Sed fortè minus rectè. Vide Amm. sup. categ. Arist. cap. de æquiuocis.

do rum quod cum proposito reciprocatur accipitur; quod similiter sit ignotum. vt constà commensuratur Diametro, igitur & Diameter constæ. Et, istad Theorema falsum est, igitur non est verum. Itē Socrates est filius sophronisci igitur Sophroniscus pater est Socratis. Videntur etiam principium petere qui per partes accipiunt quod probandum est. vt medicina est scientia salubrium, & est scientia insalubrium, igitur est scientia salubrium & insalubrium.

Cū ducitur arg. à partib', ex eisdem positis, aut ablatis infertur totum. Sed hic quod per partes accipitur idem eisdē vocibus simul concludit, vt idem prorsus sit antecedeus, & consequens.

CONSEQVENS est quod ex antecedente infertur. Hic triplex deceptio fit, prima est, cum, vt ex antecedente ad consequens sic ex consequente ad antecedens argumentamur, vt si pluit, igitur terra madefacta est. Ergo si terra madefacta est oportet pluisse. Secunda est cum ex negatione antecedentis consequens quoq; negamus. Vt, si homo est animal est, igitur si homo non est animal non est. Tertia est cum ex communiter accidentibus antecedens inferimus. Democritus in solitudinem fugit, igitur fuit

Hinc oritur sophisma. Qui dicit te esse animal verū dicit. Qui autem ait te esse equū ait te esse animal. Ergo qui dicit te esse equum verum dicit. In hanc fallaciam incidit Meliss. si genitum habet principium ergo ingenitum non habet. primo phys. t. 23.

fuit insanus. Qui enim insanus est in solitudinem fugit.

NON CAVSSA VT CAVSSA sumitur cum aliqua accipitur propositio, quæ nihil ad conclusionē pertinet, quod accidit in deductione ad incomodum. Vt Si verum non sit Diametrum non commensurari costæ, commensurabitur. Ex quo sequetur infinitum transiri. Nam si Diameter commensurabilis est, & quod mouetur prius medium transit; & medium medij; & sic in infinitum, oportebit quod mouetur infinita pertransire, quod non est concedendum. Sed hæc conclusio ex propositione, Diameter cōmensuratur costæ, non sequitur, sed aliunde.

Vide 2. lib. prior. analyt. cap. 22. de eo quod est, Non pęnes hoc.

INTERROGATIONES plures sunt, cum aut vnum de pluribus, aut plura de vno; aut plura de pluribus interrogantur. Vt, Homo & Leo sunt ne animal rationis particeps? Si ais, ergo Leo est rationis particeps. Si negas. Ergo homo non est rationis capax. Item est ne Aetiops homo albus? Si annuis. Igitur albus. Si rennuis. Igi-

tur non est homo. *Præterea est ne Socrates, & Bucephalus Homo, & Equus? Si sic. Ergo Socrates est Equus, & Bucephalus Homo. Si non. Ergo Socrates non est homo, neq; Bucephalus Equus. Regula est vt vni interrogationi vna detur responsio, plures autem pluribus*

De solutione captiosarum rationum. Cap. 6.

Sec. l. Elenc. cap. 3.

F*Alsus quiuis syllogismus aut per interemptionem, aut per distinctionem soluitur. Tria afferuntur præcepta. Vnũ est vt in paralogismis per æquiuocationẽ, amphibologiã, compositionẽ, diuisionẽ, & accentũ si quod sumptum est multiplex sit distinguatur. Alterũ est vt in his, qui fiunt per eãdem formam orationis, per accidẽs, per id quod ẽ secundum quid & simpliciter, per ignorantiã elenchi, per consequens, per nõ caussã, vt caussã, per id qđ est plures interogationes vt vna; cõsequentia negetur, & mox negationis caussa subiũgatur. Tertiũ est vt in petiti ne principij aut antecedẽs negetur, aut in dubium reuocetur.*

LIBER

LIBER OCTAVVS.

De Inductione, Enthimemate, exemplo.

De Inductione. Cap. 1.



NDVCTIO est ex rebus singulis ad vniuersas progressio, siuè res singulæ verè singulares sint, siuè minus communes. Vt *Si gubernator optimus qui peritus, & doctus est, itemq; Auriga.*

Ergo in quacumq; re qui sit peritus, & exercitatus erit optimus

Et cauēdum est ne qua pars prætermittatur, aut eiusmodi consolatione

Lib. primo topic. cap. 10 Hoc argumentationis genus vt primo auctori Socrati tribuitur, qui primus vniuersa quæsiuit, ac definiuit. Vide lib. 13. metaph. cap. 4. aut summa secunda cap. 1.

Inductione maximè delectantur Poëtę, vt Ouid. dum vxorem consolatur Trist. lib. 4. Eleg. 3. & Verg. æneid. lib. 6.

tione vtendum, & ita in reliquis. Et plurimum cōfert eiusmodi argumentatio ad confirmationem primarum propositionum.

Vide secundo lib. prior. anal cap. 26

Redigitur inductio ad syllogismum, qui probet maiorem extremitatem de medio per minorem. sic.

Notat Alb. Mag. quod inductio redigitur ad syllogismum secundum materiam cap. 4. tractatus de reductione aliarum argumentationum in syllogismum.

Omnis homo currit.
Socrates, Plato, Arist. & hic, & ille sunt omnes homines.
Igitur Socrates, Plato, & cæteri currunt.

Quod si conuertatur fiet syllogismus ex inductione hoc modo.

Omne quod est Socrates, Plato, Arist. &c. currit.
Atqui omnis homo est Socrates, Plato Arist. &c.
Igitur omnis homo currit.

De Enthimemate. Cap. 2.

Vide 2. prior. anal. cap. 34. & 2. Rhet. c. 23. & 24. & pr. topic. cap. 13. Boeth. 2. de differ. topic.

Enthimema est syllogismus, cui altera ex propositionibus deest. Vt,

Cicero rectè suis rebus consulit.
Igitur prudens est.

De signis, & veresimilibus 2. prior. anal. cap. 33

Quoniam autem hac breui argumētandi formula plerumq; vtūtur oratores

tores, propterea dixit Arist. Enthimema esse imperfectum syllogismum ex verisimilibus, & signis. Sunt autem signa duorum generum alia quæ opinionem tantum gignūt aut augēt & εἰκότα dicuntur, vt pallet, ergo amat. Alia necessaria, quæ τεκμήρια vocantur, vt lucere incipit, igitur sol oritur. Mulierē quæ lac habet peperisse necesse est, igitur Faustina peperit.

Potest enthimemate vtcumq; contineri dilemma, quod duplicis enthimematis vim habens vtrinq; aduersarium capit.. Si improbus est cum vteris? Si probus cur accusas? Solet id genus argumenti aliquando retorqueri, vt illud Protagoræ aduersus Euathlum. Si vicero merces mihi ex sententia dabitur; sin minus ex pacto. Sed ex aduerso Euathlus. Si pro me pronunciatū fuerit nihil tibi ex sententia debitur; si contra me ex conuentione

Cic. in lib. de Sene. dicit quod senex assequutus est longam vitam, quam adolescens sperat. Igitur senex adolescente beatior est. Deest propositio

Martialis lib. 5 reliquit assumptionem

Si quando leporem mittis mihi, Gellia dicis Formosus septem Marce diebus eris Si non derides, si verum lux mea narras. Edisti nunquam Gellia tu leporem

Cic. modo complexionē vocat, modò duplicem conclusionem Auctor ad Heren. lib. 4 diuisionem Eiusmodi argum. vocant ἀντιστρέφοντα, hoc est reciproca. Vide Aul. Gell. lib. 5. cap. 10 & 11

De Exemplo. Cap. 3.

EXemplum fit cum ostenditur maius extremum inesse medio

Secundo lib. prior. anal. cap. 20

per

Dicit Arist. sec. 18 probl. q. 3. quod per exépla, & fabulas facilius discitur.

per simile tertio, hoc est minori extremo, vt si ita dicamus

Omnis qui custodiam petit Tyrannidi insidiatur.
Dyonisius custodiam petit.
Igitur Diyonisius tirannidi insidiatur.

Probatur primum assumptum exemplis. Quia Pysistratus, Theognis, & quidam alij custodiam petentes tyrannidi insidiati sunt. Et hoc simile est Dyonisio, quod est minus extremum, cum maius sit, tyrannidi insidiari. Duplex est genus exemplorum. Vnum quod ex rei gestæ auctoritate; alterum, quod ex rei fictæ commemoratione ducitur. Prioris generis illud est, quod Darius capta Egypto statim in græciam traiecit, igitur Rex Persarum nisi arceatur Egypto, in græciam traiciet. Posterioris generis duo membra sunt. Vnum est de rebus tanquam gestis. & parabole. vel collectio dicitur vt, Non rectè sibi consulerent vectores, qui Gubernatores sorte deligerent. Ergo non rectè sibi consulet Respub. si sorte suos magistratus creauerit. Alterum

Lib. secũdo Rhet. c. 21

παραβολὴν Arist. Cic. hutem collationem, quá etiam videtur vocare παραγωγὴν in topic. & est socratica inductio, quæ ex pluribus collationibus peruenit quò vult sic.

terum de rebus omninò fictis, quales sunt omnes apologi, & fabulæ, Aesopicæ. Exemplum sit.

Equus olim de expellendo ceruo hominem consuluit. At homo, patere, inquit, vt in os tibi frænum iniçiam, & tuum dorsum ascendam. Sic enim arrepta hasta simul incurremus in hostem. Hoc modo equus in seruitutem abactus est. Nunc frænum sibi iniçiunt, qui expellere ex Regia potestate Principes cum velint, cum ijs qui vulpe sunt astutiores, conspirant.

Si tutor fidem prestare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Vide Quintilian. lib. 5. cap. 11

Exemplum de rebus fictis notú est apud Horat. l. 1. Epist. ad mœcenaté. Olim quod vulpes ęgroto cauta Leoni &c. Qué apologum cómemorat etiam Plato in alc. prim. eo loco, vbi ostendit Lacedemoné omnium grecarum vrbium auri argentiq; esse refertissimam.

De Sorite. Cap. 4.

Adhuc tractatis argumentandi formis adiçiunt non nulli soritem, quæ gradatim progrediens veluti cogestis granis aceruũ efficit hoc modo. Natura præcipit, vt homo homini consultum velit. vnde fit vt secundùm eandem naturam omnium vtilitas sit communis. Quod si ità est vna, & eadem naturæ lege probibemur alterum violare. Est autem obseruandum, vt quæ coaceruantur necessario inter

σωρείτης ἀπὸ τοῦ σωροῦ quod græcis acceruum significat. Cic. de Diu. aceruualem appellat. Simpl. 8 Phys. com. 12. vult rationem esse sophysticam idem Cic. 1 acad. Quod intelligendum est quia facilè latent ineptę consequutiones, quę admiscentur necessarijs

Ex Cic. 3. lib. offic.

se cohæreant. Quo vitio laborat stoicorum gradatio. Bonum optabile. optabile expetendum. expetendum dignum. dignum laudabile. laudabile honestum. Igitur quodvis bonum honestum. Tertia consecutio vitiosa est.

Ex eodem Cic. quinto lib. Tuscul. In hoc argumentandi genere frequentes fuerunt stoici, & Zeno, ac etiam Chrisippus.

Regula inueniendi medij. Cap. 5.

Quibusdam præsumptis exponendum quid antecedens, quid consequens quid repugnans.

Primo lib. prior. analyt. lectione 2. c. 21. Vide Anton. Bernard. Mirand. in institutione in lib. prior. anal. sec. 26.

Eorum quæ sunt alia sunt singularia, quæ de nullo subiecto prædicantur, alia sunt vniuersalia. Et horum alia sunt, quæ de alijs quidem ipsa dicuntur, sed ipsis priora non sunt; alia quæ de alijs, & de quibus alia prædicantur.

Antecedens est subiectum secundum naturam vel prædicati, vel subiecti conclusionis, vt huius enunciati, Homo est animal, Socrates est antecedens hominis, & animalis.

Consequens est quod secundum na-

naturam prædicatur, vel de subiecto, vel de prædicato, idq; aut verè, aut secundum opinionem, vt huius effati, Phylosophia est scientia, habitus est consequens tum Phylosophiæ tum scientiæ.

Repugnans est, quod affirmari neq; de subiecto, neq; de prædicato potest, neq; eisdem subijci vt in hac propositione, Iustitia est virtus, Superbia, aut vitium.

Nunc ad cõcludendam conclusionem vniuersalem aientem accipienda sunt antecedentia prædicati, consequentia subiecti sic.

Omne animal est corpus.
Omnis homo est animal.
Igitur omnis homo est corpus.

In qua raciocinatione animal antecedit corpus, & consquitur hominem.

Ad negatiuam vniuersalem accipienda sunt repugnantia prædicati, consequentia subiecti, aut contra.

Nullum animal est lapis.
Omnis homo est animal.
Igitur nullus homo est lapis.

Vbi animal repugnat lapidi, sed homini

mini est consequens.

Aliquando ex aduerso medium repugnat subiecto, consentit prædicato; vt hic.

Omne animal sentit.

Nullis lapis sentit.

Igitur nullis lapis est animal.

Si autem in animo sit conclusionem efficere particularem, sumenda sunt quæ & prædicatum, & subiectum antecedunt, hoc modo.

Omnis homo est substantia.

Omnis homo est animal

Igitur aliquod animal est substantia.

Quò loco homo, & substantiam, & animal anteit.

Si vero conclusio particularis debuerit esse negatiua sumenda sunt, aut antecedentia subiecti, & repugnantia prædicati. vt.

Nullum animal est lapis.

Omne animal sentit.

Igitur aliquod sentiēs nō est lapis

Aut consequentia prædicati, & repugnantia subiecti. vt

Omnis virtus est laudabilis.

Auaritia non est laudabilis.

Igitur auaritia non est virtus.

In quo

In quo syllogismo, laudabile quod est medium, & si consentit virtuti, repugnat tamen auaritiæ.

De modo Disputandi.

Cap. 6.

DISPUTATIO *versatur inter opponentem, & respondentem. Primum vtrisq; proposita debet esse veritas; & si magis victoria vtcumq; expetitur. Deinde sic vtriq; circa propositū theorema versari debent, vt aut nihil, aut parum digrediantur.*

Varro de lingua lat. lib. 5. dicit quòd disputatio à putando deriuatur, quòd valet purum facere, quæ enim veritatem veluti obruunt, disputatione reiciuntur, vt superflui rami ab arboribus amputantur.

Veteres interogationibus vti solebant. Opponens enim ex responsione aduersarij eliciebat argumentationis materiem; hanc adhibendo cautionem, vt non statim rogaret, quæ assertioni aduersarij labefactandæ proxima essent, sed altius, & à rebus, quæ à proposito longè distare videbantur, exordiendo.

Exemplo nobis esse possunt Dialogi Platonis. Vide Arist. toto 8. lib. top.

Nunc autem aduersarium sine vlla ferè interrogatione, sed nostris confisi sumptionibus inuadere solemus. Quæ disputandi forma, & si for-

si forte difficilior, & minus tuta est, grauior, & constantior habetur.

Qui opponit Primo Argumentari non debet contra præsuppositum.

Pro duplici petitione principij vide 2. lib. prian. cap. 21. & ibi Franciscum Buranam.

Secundo non debet petere principium, præsertim statim, & manifestè.

Tertio Dum replicat (vt loquuntur) Argumentum nouum afferre non debet, sed responsionem directè impugnare.

Verba quibus opponens vtitur sunt, Contrà, Aduersus, Dispute, Argumentor, Insto, Ago, Urgeo, Accuso, Contradico, Repugno, Aduersor, Impugno, Expugno, Euerto, Destruo, Confirmo Argumentum, Corroboro, Amplifico, Probo, Replico.

Propositione & propositio, & assumptio cótinét. Si admittatur antecedés,

Qui respondet, repetito diligenter Argumento, debet aut negare aliquid, aut distinguere. Quod negatur est aut propositio, aut antecedens, aut consequentia. Consequens negari non potest, sed distingui. Quod si vitium fuerit

in

in forma id ipsum est detegendum. Quod pertinet ad distinguendum debet esse breuissimus, ita vt tantum innuat distinctionem, non declaret, nisi docere velit. Quidam distinguendi artem ad tria capita redigunt.

Secundum quid & simpliciter.

Aliter, & aliter.

Aliud, & aliud.

Numquam probare debet aliquid, vt imperiti faciunt.

Potest aliquando ducere ad absurdum, non ad probandum, aut respondendum, sed aliquamtisper redarguendum, modo tamen deinde solutionem afferat.

Potest etiam retorquere Argumentum, quo eiusdem Argumenti debilitas ostendatur. Sunt qui contra Argumentantur, sed nihil proficiunt. Oportet enim primum defendere se, non accusare accusatorem. Vt apud Vergilium Rusticus Dametas.

Verba respondentis sunt. Pro, Respondeo, Defendo, Nego, Concedo, Admitto, Declaro, Interpretor, Distinguo, Soluo,

&consequentia bona sit, necessario sequitur consequens.

Argumentum peccat aut in forma, aut in materia, aut in vtroq;

Iuriscõsultissimus, & omniscius ciuis meus Baldus Vbaldus in prœmio ff.

Diogenes retorquet argumentum, quo Sophista quidam sibi ostenderat se non esse hominem apud Aul. gell. lib. 18. cap. 13.

Dic mihi Dametas, cuium pecus an Mœlibei &c.


Cic. tamen 2. de orat. cõcedit quandoq; afferendum in contrariam partem quod sit aut grauius, aut ęquè graue.

Retorqueo argumentum. Aio, Dico, Affirmo. Et, esto, sit ita vt vis, & (vt loquuntur) transeat. Et, sic, Ita, Etiam, Non Nequaquam, Minimè, Cur non, Quippini. Et reliqua huiusmodi si qua alia sunt.

Transeat omnino Barbarum est.

Ioannis Tinnuli Argumentandi Methodi

FINIS.



LVCIANVS PASINVS

Lectoribus.



NA cum Argumentandi Methodo peruenit etiam ad nos eiuſdem Auctoris ſequens oratio. Viſum eſt eruditiſſimis viris, vt eam eiſdem Typis cudi mandaremus. obtemperauimus vtilitatis veſtræ gratia. Legiſſe non pœnitebit. Valete.

PROOEMIVM IN LIBRIS

Legendis plurimum temporis insumunt.





CIↃ IↃ LXXXI. IIX Id Nouemb.

VOD mihi laudi & honori apud omnia hominum genera perpetuò futurum existimabam, quòd ita meam comparauerim vitam, vt eam totam in eruditissimorum, ac Phylosophorum in primis libris legendis consumerem, vt ex his quæ meliora, atq; vtiliora essent, ea vobis (Ornatissimi, ac Studiosissimi Iu-

uenes) omni studio, atq; diligentia traderem; Hoc recens nonnulli in me, & aliis literarum professoribus accusare, atq; damnare, nescio quibus rationibus, visi sunt. Videtur enim fortasse non decere homines liberos, & ingeniosos, ad agēdum natos totos aliquando menses intra priuatos parietes aliorum dictis legendis, atq; contemplandis sic expallescere, atq; squalere, vt ab hac deinde Rerumpub. luce hominumq; consortio, quasi tot Timones nimium de se præclare sentientes, ac superciliosi abhorreant. Annibal Carthaginiensis (vt Paullus Diaconus scribit secundo lib. historiarum) postquam apud Zamam Aphricæ oppidum fuit à Scipione victus Athenas ad Regem Antiochũ profugit. Hic semel vna cum Antioco Academiam ingressus Phormionem peripateticum phylosophũ de rebus bellicis, totaq; arte militari, àc Imperatoris officio subtilissime, atq; copiosissimè disputantem audiuit. Tum Antiochus, Quid (Inquit) ò Annibal de tam docto, tamq; eloquenti Phylosopho iudi-

Timon Atheniensis fuit prorsus inhumanus, ac vitans hominũ congressus, μισάνθρωπος dictus, hoc est humani generis osor ad quē hic alluditur. Fuit enim alius, qui comœdias, tragœdias, & Satyras scripsit, Ptholomeo Philadelpho carus. Vide Cic. 2. lib. de Orat. qui aliquantum aliter loquitur.

Liuius, Plutarchus, Polybius.

tas? Cui pœnus non optimè græcè ſed tamen libere reſpondit, Multos ſe deliros ſenes ſæpè vidiſſe; ſed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Quæ enim ipſum ſex ferè atq; triginta annorum experientia docuit, tot bella, & in Hiſpania, & in Italia aliiſq; locis fortiter gerentem, hæc homunicio Phyloſophus, qui vnis legendis libris ſuam iam ætatem conſumpſiſſet, velati docere audebat. Huic Phormioni perſimiles omnes ij videntur, qui literarum ſtudijs, reliquis ferè omnibus poſthabitis, incumbunt.

His, qui hoc modo nos repræhendunt, atq; accuſant omnium primum hoc huius ſtudij initio, & pro me, & pro vobis omnibus (Viri optimorum quorumcumq; librorum ſtudioſiſſimi) reſpondendum eſſe exiſtimo. Nolim enim vt ſic ab his hominum fæcibus nos illudi patiamur, vt ipſorum errorem non detegentes, aut eos humaniter non moneamus, & emendemus, aut minus cautos benignè non doceamus.

Duo ſunt potiſſimum hominum

ge-

genera, quæ Rempub. complent, alij rudes atq; illiterati, alij æruditi, & literati. Primi quidem generis sunt Caupones, Veterinarij, Pharmacopolæ, Carpentarij, Pistores, Aurifices, Mercatores, & huiusmodi reliqui homines; inter quos & milites vtcumq; numeramus, non quòd sordidam, & illiberalem aliquam artem exerceant, sed quòd literatos eos esse non oporteat. Literati vero sunt Medici, Iureconsulti, atq; Phylosophi; qui aut moribus, virtutibusq; docendis, aut naturæ rebus contemplandis incumbunt. Nam Grammatici, & qui humaniorum literarum professores appellantur, ad hos, quorum gratia sunt; vt ad fines referuntur. Medici quidem sanitatem aut conseruant, aut instaurant. Iure autem consulti tùm ceteras virtutes omnes, tam in primis iustitiam custodiunt, dum quemq; vnicuiq; quod suum est reddere iubent, alterum non lædere, & honestè viuere. Pendent autem hi à Phylosophis moralibus, à quibus suæ scientiæ fundamenta mutuantur. Vndè fit

Tria iuris præcepta in instituit. lib. primo tit. de iustitia, & iure.

Vide Auer. Simplicium; atq; Temist. in præfationibus in physicam auscul

tationem Arist.

vt legum peritia morali Phylosophiæ subiecta sit. Quæ enim à morali phylosopho demonstrantur atq; definiuntur, hæc principia sunt scientiæ legum. Hæc autem sunt virtutes à quibus leges omnes deriuantur. Quemadmodum autem leges à virtutibus, sic virtutes à natura ducuntur. Quod quidem hinc dilucet; Etenim duplicem fœlicitatem statuit Arist. lib. 10. Ethicorum ad Nichomachum vnam, quidem πρακτικήν, quæ in actione consistit, alteram vero θεωρητικήν, quæ in contemplatione sita est. Practica fœlicitas tota à virtutibus pendet; virtutes autem omnes in vna vniuersali iustitia continentur, quæ omnium virtutum nexus est, si Aristoteli credimus 5. lib. Ethic. cap. 1. vbi Theognidis Poetæ carmen citat ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. Hoc est in iustitia autem summatim omnis virtus continetur. In hac autem virtute iustitia três gradus considerari posse videntur. Inest enim primum iustitia in diuina prouidentia, deinde in fato, postremo in hominũ

Vide cap. 6. 7. & 8.

extu, iustitia, & leges fati atq; naturæ à prouidentia diuina pendent, vnde pendet Cœlum, & natura ex 12. lib. Methaphisicorum Arist. Humana autem iustitia, & leges à naturæ legibus. Igitur cum hæc tria Deus, & Natura, & Homo sint, sicut natura à Deo, sic homo à Natura proximè pendet. Quod cum ita sit omnia hominum iura inquinata, & corrupta sint necesse est nisi ad naturæ leges, & instituta conformentur.

Tit. 38. & primo lib. de Cęlo. t. 100.

Accedit his quod sicut Medico oculum curaturo (vt phylosophus ait primo lib. Ethic. ad Nicomachum) oculi cognitio necessaria est, sic ciuili Phylosopho, qui animum debet virtutibus, ac moribus informare, animæ cognitio maximè prodest. Hæc autem cognitio in naturali Phylosophia prorsus habetur. Ex quibus profectò fit vt omnium principes ij sint Phylosophi, qui contemplantur, deinde morales, post hos iuriconsulti, & Medici.

His omnibus ita constitutis facile nunc est Accusatorum nostrorum

obiectis

obiectis cumulatè satisfacere.

Videntur quidem ij tria nobis simul obijcere, sedulam, & continuam librorum lectionem, à vulgarium hominum cætu, veluti contumaciam, & à Rerumpublicæ tractatione abstinentiam. Quæ profectò omnia supra quàm dici possit in nostram laudem cedunt.

Principio quidem nihil est quod nobis magis ad prudentiam, atq; sapientiam conferat quam librorum lectio, qua nulla ferè est ætatis humanæ pars, nulla publicorum temporum varietas, nulla instituendæ vitæ ratio, & via. quæ sic non egeat, vt eam si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse non videatur. His quæ mille iam annis, & amplius præteriere, veluti nunc existant, intuemur. His doctissimorum hominum cogitationes legimus. His antiquorum patrum leges tam humanas quam diuinas discimus. Hi à doctis viris muti magistri appellantur, nec iniuria. Sicut enim muti non vocibus, sed nutibus, signisq; nobis loquuntur, sic etiam libri notulis quibusdam,

signi-

significantibusq; figuris, quæ literæ sunt, nobiscum fabulantur, quibus sicut præceptor viua voce, plurimum nos edocent, atq; erudiunt.

Quæri solet à multis vtrum sit ad eruditionem comparandam conducibilius legere, quam auscultare.

Quæstionis explicatio, vtrum præstet legere quã auscultare.

Quam quidem quæstionem his ferè verbis tractat, atque definit eruditissimus adagiorum auctor.

,, *Habet enim res vtraq; sua*
,, *quædam peculiaria commoda.*
,, *Nam ex libris tum eruditiora*
,, *fermè sunt, quæ discuntur, tum*
,, *plura. Tantum enim quisq;*
,, *discit quantum ingenij celerita-*
,, *te consequi, memoriæ fidelitate*
,, *complecti potest. Ad hæc Hi*
,, *præceptores nunquam grauan-*
,, *tur operam suam nobis imparti-*
,, *re. Atq; horum vt vberior,*
,, *ita paratior copia. Accedit*
,, *huc & ocium illud, & cogitatio*
,, *nis secretum. Licet præssius*
,, *inspicere singula, licet retracta-*
,, *re, licet expendere. At è di-*
,, *uerso minore iactura tum inge-*
,, *nij, tum oculorum, tum valetu-*
,, *dinis constant, quæ à præcepto*

re

,, rè differente percipimus, maxi-
,, mè si is dicat, quem & miremur
,, & amemus. Deinde insidunt
,, altius animo, & hærent tenacius
,, & occurrunt promptius. Qua
,, re (concludit) consultum erit
,, alterum studij genus cum altero
,, coniungere, & vbi viuæ vocis
,, erit copia libentius auscultare,
,, quam legere, si modo mediocri
,, sit eruditione quem audis. Vbi
,, non erit libenter quasi non mi-
,, nus operæ precium facturus sis
,, ad libros confugere, sed optimos.

Verum hactenus de mutis his magistris.

Nunc quòd ab hominum vulgarium, ac impurorum consortione veluti fugiamus nec mirum, nec reprehendendum cuiquam videri debet. Sicut enim olim non bene conueniebat Iudæis cum Sammaritanis, sic etiam nunquam benè conuenit Doctis, cum Idiotis. Sicut enim scientiæ ignorantia, atq; inscitia contraria est, sic perpetuo eruditis indocti qua tales sunt aduersantur.

Ioannis 4.

Huc pertinent duo dignissima præcepta Pytagoræ. Vnum quidem

Vide auctorem adagiorum.

dem est, μὴ γεύσθαι τῶν μελανούρων, hoc est, ne gustes ex ijs, quibus nigra est cauda. Quòd interpretatur Plutarchus in commentarijs de liberis instituendis, ne comercium habeas cum improbis, ac impuris hominibus. Alterum præceptum Pytagoræ est, λεωφόρον μὴ βαδίζειν, hoc est, per publicam viam ne ambules. Quod significat ne vulgi errorem sequamur. Et si contrarium huic illud esse videtur, ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν hoc est, extra viam publicam ne ingrediaris. Quod indicat quædam esse, in quibus cum vulgo conuenire magnæ sit dexteritatis. Cum multo plura deinde sint, in quibus à vulgo quàm maximè distare virum bonũ oporteat. Vnde rectè Flaccus. Interdum & vulgus rectum videt, est vbi peccet.

Symbola Pytagoræ omnia habes in fine secundi tomi operum Marsilij Ficini.

Sed inquiunt Aduersarij, quod qui sic libris euoluendis dediti sunt vt aliorum ferè omnium obliuiscantur, Reipub. vsui nullo sunt, cum ab eadem quantum possunt abstineant.

Hic primum negandum est lite-

ratos homines prorsus à Repub. abstinere. Quinimo cum opus est, nemo ijs aut ardentius, aut melius & publica, & priuata negocia tractat. Et in primis quod ad Phylosophos pertinet, vulgatissimum, atq; receptissimum est aureum dictum Platonis, tum beatas esse Respup. cum aut Phylosophi regunt aut Reges phylosophantur. Hinc est quod antiquitus Principes, & Reges (quos pauci hac nostra ætate ad sui nominis gloriam, imitantur, & emulantur) Phylosophos perhumaniter excipiebant, apud se alebant, & quibus poterant, aut licebat rationibus ornabant, ac veluti secundos quosdam Deos colebant. Et gloriosissimus Macedonum Rex Alexander qui (vt in suis Epistolis legitur) à peritia rerum alijs excellere malebat, quã potentia, & opibus, summum Phylosophum Aristotelem, quem plurimi semper fecit, familiarem, ac præceptorem habuit.

Sed fac prorsus Phylosophos abstinere à Repub. id præceptum est optimum phylosophi Pytagoræ Κυάμων ἀπέχεσθαι, hoc est, à

5. de Repub. legitur. Nisi vel Phylosophi ciuitatibus dominentur, vel hi, qui nunc Reges, potétesq; dicuntur legitimè sufficienterq; phylosophentur, in idemq; ciuilis potentia, & philosophia concurrant, neq; (quod nunc fit) à diuersis duo hęc tractentur ingenijs, non erit ciuitati, vel (vt mea fert opinio) hominum generi requies vlla malorum &c.

In epistola, qua queritur quod Arist. Physicos libros publicauerit.
ἐγὼ γὰρ ἐβουλόμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν.

Fabis abstineto. Quod significat (vt interpretatur Plutarchus in cõmentario de liberis educandis) abstinendum à tractandis Reipub. muneribus. Olim enim in creandis magistratibus (quod apud multos & nunc est in more positum) pro suffragijs fabis vtebantur.

Neque hinc sequitur literatos etiam maximè Reipub. non prodesse. Obseruari debet ex Auicennæ sententia primo libro methaphisicæ cap. 3. Vtile, & quod prodest duobus dici modis. primo quidem modo illud, quod totum alterius gratia est, vt in Ciuitate artes sunt mechanicæ, & Grammatici, Medici, Iureconsulti, Milites, & ceteri huiusmodi homines, qui omnes sic alio instituuntur (libere vera loquar apud vos, qui viri estis ingenui) vt veluti serui sint, non liberi, & hæc vtilitas propriè seruitus nuncupatur; quæ tamen magno in præcio, atq; honore apud omnes ferè gentes habetur. Secundo illud vtile vocari potest, quod sui gratia in primis cum sit, alioq; per se non instituatur, alteri tamen eminenti

Sic animæ cognitionem ad omnem veritatem vtilem dixit Arist. primo lib. de animo t. 2.

quodam ac egregio modo prodest, vt Deus mundo, Dominus seruo, Pater filio. Et hoc posteriore modo literati atq; Phylosophi Reipub. vtiles sunt. Quo profecto modo, sumus nos maximè rerum omnium fines, vt Phylosophus dixit 2. lib. Physicæ auscultationis. Finis autem sic alijs, quæ sui gratia sunt, vtilis est, vt si is remoueatur, cetera omnia corruant.

Tex. 24.

Quæ alicuius Ciuitatis gloriam pariant, & amplificent.

Tria potissimum mihi esse videntur, quæ alicuius ciuitatis famam, atq; gloriam pariunt, & amplificant, antiquæ diuitiæ, gesta fortiter bella, & partæ victoriæ, & literæ. Sed omnium primum literæ, & scientiæ sunt, quæ id efficiunt. Quæ enim vnquam reperta est Ciuitas, quæ maiore honore atq; gloria apud omnes gentes, atq; nationes extiterit antiquis illis ATHENIS, in quibus olim floruere Socrates, Plato, Aristoteles? vt mille alia taci tus prætercam non solum Athenarum, sed totius Græciæ lumina, quæ vnis litteris omnibus fere mundi populis illustria, ac mirabilia extiterunt. Et, vt multa alia in hanc sen-

Athenę Ciuitas Gręciæ totius celeberrima. De qua ita Cic. lib. 1. de Orat. vt omittam illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas.

tentiã, vitandæ longitudinis gratia, sciens, & prudens pretermittam, Augustæ huius nostræ Ciuitatis longè minor esset gloria, si post tot ægregios aliarum rerum, quæ aut necessariæ, aut vtiles, aut ornatus gratia sunt, peritissimos magistros, literati homines, vt sunt præcellentes, atq; plurimi, non haberentur, ac honorarentur.

PERVSIAE periphrasis, quæ Augusta dicta est.

Legitur Iulianum quendam Augustum, qui quo erat tectior, & callidior, eo erat acrior, & perniciosior Christianorum hostis, nulla re olim putasse magis se Christianis obesse, eorumq; religionem vehementius labefactare posse, quam si eis omnium bonarum artium studia interdixisset. Quod eleganter admodum exposuit Achilles Bocchius hisce Carminibus.

Hic fuit ille Iulianus, qui cum christo nomen dedissent, factus Imperator ab eo desciuit, vnde & apostatę cognomen apud christianos inuenit. Vide Eutropium de gestis Romanorum lib. 10. & supplementum suplementi lib. 8.

Impostor ille Iulianus, maximè
Qui Christianos persequi decreuerat.
Artes eos docere vetuit liberis.
Dignas hominibus, scilicet ne præpetes
Euelerent de Aquila pennas, quibus

Configerent etiam Aquilam Qua imagine
Vsum ferunt illum esse, vbi primum artibus
Sese impetitum fortè deprehendit suis:

Hæreticorum nostri téporis calliditas.

Huc quoq; spectare videtur summa Hereticorum nostri temporis calliditas, cum Phylosophiam, reconditioresq; disciplinas Christianis hominibus repudiandas, & execrandas esse clament, quo videlicet facilius indocti homines, ac simplices captiosis, quibus vtuntur, argumētis circumuenti atque irretiti in eorum errores protrahantur. In quo videtur mihi quidem Hæretici persimiles esse Philisthæis, qui vt in sacris literis habetur, omnes fabros ferrarios, armorumq; opifices Hebreis abstulerunt, vt inermes nec bellum illis vltro inferre, nec ab illis illatū facile propulsare possent.

Lib. primo Regū cap. 13.

Concludendum igitur est longè magis, & præclarius literatos, & Phylosophos, quorum gratia cetera omnia in Ciuitate sunt, prodesse Reipublicæ quàm reliqua omnia reliquorum hominum genera.

Sed Anibal (niquis) Carthaginiensis fortissimus miles, ac prudentissimus Imperator, Phormionem Phylosophum, aut delirum senem accusauit, & irrisit, hominem literatum, & librorum studiosissimum.

Accedit quod Agrippina Mater Neronem à Phylosophia semper auertit, monens eam aduersari imperaturo.

Seneca autem præceptor à cognitione veterum oratorum, vt est apud Suetonium Tranquillum in vita Neronis. cap. 52.

Sed Anibal vt superbissimus erat miles, & Imperator, sic docèri aliquid nolebat. Accusari enim videbatur tamquam artis Imperatoriæ, ac totius rei militaris imperitus, cum eo tempore à Scipione victus fuisset. Sed (vt ait Flaccus)

Cur nescire pudens prauè quàm discere malo?

Non sic bonus Rex Anthiochus: Sed suum admiratus est, & laudauit Phylosophum, magnæ sibi gloriæ esse existimans, quod eiusmodi, cum opus esset, vti posset consiliaribus. Sicut enim gloria Patris est

filius sapiens, sic Domini seruus.

Quod autem ad Agrippinam pertinet, ipsa fuit omnium fœminarum pessima, vt ex Cornelio Tacito, & Suetonio Tranquillo deprehendi potest. Quam tamen infandam mulierem decem totos annos Nero filius pertulit, tandem magno cum timore occidit. Mortuo marito Cn. Domitio Ahenobarbo Agrippina vxor petulantia, & lasciuia thorum Claudi Cæsaris patrui sui incestare aggressa est. Sed Claudius fœdas respiciens nuptias, mutato consilio, omnia dissoluere tentat. Agrippina vero sibi metuens Claudium boletis veneno infectis per Holatum spadonem ministrum, & locustam veneficij magistram necat. Ac ita Imperium Neroni filio, nomine quidem, re autem sibi parat. Adiunctis enim Neroni Seneca præceptore, & Burro Imperij ministro vniuersum Imperij ius ad se trahere conabatur. Vnde factum est, vt iure occisa fuerit. Quod etiã fortasse merito Senecæ accidit, qui coniurationis cuiusdam in Neronem suum conscius erat; alioqui viro

Vide Tacitum lib.c.5.12. & 14. Suetonium autem in vita Neronis, in primis cap.33. & 34.

ro egregio, & vndiq; admirabili.

Scribit Suetonius in vita Neronis, cap. 52.
quod Seneca Neronem à cognitione veterum oratorum auertit, quo diutius in admiratione sui detineret, quod vtrum verum sit alij viderint.

Non nulli, qui superioribus annis in hac vrbe disceptationes quasdam in physicam auscultationem Arist. publicarunt, non à verà Phylosophia auersum fuisse Neronem, sed à Sophystarum fucata fallaciq; sapientia crediderunt. Sed hos magna in rerum ingnoratione versari ex ijs, quæ adhuc allata sunt, perspicuum est.

Vtcumq; sit nec Anibal, nec Agrippina, nec Seneca, in quibus nobis perperam aduersantur, iurè probandi sunt. Sed bonarum literarum omnium studium plurimi semper, & vbiq; faciendum est.

Quæ omnia cum ità sint, nihil amplius est cur aliquis literarum professoribus vitio vertat, quod à vulgo abstineant, quod libris euoluendis plurimum temporis impartiant, quod Reipub tractandæ se-

dulò non incumbant.

Neq; his, aut similibus repræhensionibus, & accusationibus vos, (ingeniosissimi, ac studiosissimi iuuenes, qui & loquentibus, & mutis, vtrisq; optimis præceptoribus operam datis) à ceptis vestris laudatissimis literarum exercitationibus pedem referre debetis. Quinimò semper concitatius ad propositum veluti brauium currere. Ex quo eximiam veramq; nominis vestri gloriam reportabitis. Ego quidem, quod ad me attinet, vt quindecim iam ab hinc annis semper feci, operam sedulam assidue dabo, vt diligentiam meam non desideretis.

FINIS.

INDEX CAPITVM



CAPITA PRIMI LIBRI.

CAP. SECVNDI LIBRI.

De

CAPITA LIBRI TERTII.

CAPITA LIB. QVARTI.

CAPITA LIB. QVINTI.

CAPITA LIB. SEXTI.


CAPITA LIB. SEPTIMI.

CAPITA LIB. OCTAVI.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS.

P. Significat principium. M. medium. F. finem.





Ampby-

sicos

B.

C.

Con-

D.

Di-

E.

F.

G.

H.

I.

In-

L.

M.

N.

O.

P.

Par-

Q

R.

S.


Sene

T.

V.

V.

FINIS.







PERVSIAE,
Apud Petrumiacobum Petrutium. 1584.
Permiſſu Superiorum.

